DE

ASSIMILATIONE SYNTACTICA APUD SOPHOCLEM

COMMENTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

J. E. ÅZELIUS.

UPSALIÆ
TYPIS DESCRIPSIT UPSALA NYA TIDN. AKTIEB. TR.
MDCCCXCVII.

Præfatio.

Aliquando jam multis annis abhinc mihi in mentem venit, quam sæpe et audacter Sophocles structuris in analogia positis usus esset. Tragoedias ejus denuo cursim perlegi et numerum ejusmodi constructionum in charta exscripsi. Postea ad Danielsson doct. phil. et doc., qui jam tum professoris munere fungebatur, veni. Adnotata ostendi, quæsivi ab eo, num quid ex illa re investiganda utile fore crederet. Respondit se credere. Et qua semper est benignitate, nonnulla mihi suasit librumque Ziemeri [1]) commendavit. Quem cum legerem, et multa mihi magis apparuerunt et consilium meum de analogia disserendi dilatavi, ita ut cetera quoque syntacticæ assimilationis genera in disputationem meam reciperem. Quod autem nova neque multa neque magna ex opere meo evenerunt, id puto maxime in parva atque inexercitata facultate mea positum, ex parte tamen in eo, quod a doctissimis viris etiam atque etiam pertractatus Sophocles est. Præterea octo fere anni post id tempus præterierunt. Perversa illa studia conjecturarum nugis Sophoclem ipsum quasi ex sua domo expellendi, quibus studiis pro viribus meis resistebam, jam multo in melius mutata sunt. Sperabam tamen etiamnunc aliquem ex libello meo fructum

---

[1]) Hermann Ziemer. Junggrammatische Streifzüge [2]. Colberg 1883.

græcæ linguæ studentibus proventurum: nam et appariturum, quam late apud unum scriptorem syntactica assimilatio pateret, et fore ut multis et consimilibus exemplis collatis obscuri incertique loci Sophoclis paulum tamen illustrarentur. Quibus rebus confisus hanc commentationem edidi.

Upsaliæ m. maio a. MDCCCXCVII.

J. E. Åzelius.

De assimilatione syntactica.

Quinto sæculo a. Chr. in Græcia multa et magna mutata sunt. Jam initio sæculi Græci de Persis, qui toti genti servitutem atque interitum minabantur, præclaram reportaverant victoriam, quæ omnibus sed præcipue Atheniensibus, quibus victoria maxime debebatur, magnos animos injecit elatosque spiritus, quibus nihil non posse perfici videretur. In re publica imperium a nobilitate ad plebem transibat. Infimi vel pessimi, ut Græci ipsi dicebant, optimis pares esse coeperunt. Philosophi novos cursus petebant. In omnibus rebus nova tentabant. Et novæ res novas loquendi formas requirebant. Accedit quod literarum domicilium ex ionicis urbibus Athenas translatum est. Itaque atticus sermo, qui ad id tempus nihil fere nisi ad titulos et leges scribenda adhibitus erat, jam erat excolendus, ut novas maximeque varias res exprimere posset. Neque mirum est, si initio, certe apud tragicos poetas, ionici sermonis vestigia multa remanserunt [1]).

[1]) Tragicorum sermonem inter Iadem et Atthidem medium quendam locum obtinere et Sophoclem poetarum ionicissimum esse dicit H. Wittekind, Sermo Sophocleus. Dissertatio inauguralis. Budingæ 1895 (pag. 1 ss.). De universo dicendi genere Sophoclis cfr Campbell Sophocles I Essay on the Language pag. 1—8.

Præterea, si quis in syntacticas rationes, quæ in illius ætatis literis servantur, inquirere velit, ei ante omnia reputandum est artem syntacticam nondum fuisse, quam spectantes scriptores verba conjungerent. Sed ad aurium sensum omnia referebant; itaque, quo quidque pulchrius aut gravius sonabat, eo magis placebat. Unde fiebat, ut liberior et laxior scribendi ratio esset, quam nos, qui a parvulis grammaticæ regulis imbuti simus, cogitare possumus. Et quo quis legibus solutior scribit, eo facilius inter vocabula, locutiones, enuntiata, quæ aliquo modo inter se associantur, natura ipsa cogente assimilationem vel exæquationem admittit. In sonorum ratione et flexione vocum quid assimilatio sit quantumque valeat, neminem fugit, qui quidem paulum linguarum studiis se dederit. Neque in syntacticis rebus, etsi minor de ea sermo fuit, minus late patet. Si quis latissimo sensu velit id vocabulum adhibere, et adjectivi ad substantivum accommodatio et verbi cum subjecto congruentia et omnia ejusmodi ad assimilationem referri possunt. Hoc tamen loco multo angustiore sensu hoc nomine utar, ita ut aberratio quædam a communis grammaticæ legibus sit, quæ aberratio tribus modis efficitur 1) si quis sententia despecta enuntiatum vel vocabulum ad aliud atque oportebat accommodat (assimilatio *externa* s. *formalis*), 2) si quis formam non spectans ipsam vim in vocum conjunctione sequitur (assimilatio *interna* s. *realis*), 3) si quis ex duabus loquendi formis, quæ simul in mente exsistunt, mediam quandam forman comparat (assimilatio *compromissalis*) [1]). Ac ne hoc quidem sensu omnia, quæ in syntaxi Sophoclis assimilatione orta sunt, in lucem proferre possum. Nam et magis abstrusa et recondita multa sunt, quam ut facile appareant, et tantus numerus si omnia colligas exemplorum est, ut enumeratione magnum volumen impleatur. Quamobrem id semper spectavi, ut, præterquam quod generis

---

[1]) De hac re cfr Ziemer Str. pag. 55 ss.

uniuscujusque aliquod si possem exemplum afferrem, de iis utique rebus paulo copiosius dissererem, quæ aut omnino latius paterent aut ad scripturas traditas recte intelligendas plus mihi valere viderentur.

In locis Sophoclis afferendis secutus sum:

AUG. NAUCK. Sophoclis Tragoediæ. Berolini, apud Weidmannos, 1867.

AUG. NAUCK. Tragicorum græcorum Fragmenta[2]. Lipsiæ, Teubn., 1889.

Præterea editiones aliaque adjumenta adhibui hæc:

F. W. SCHNEIDEWIN. Sophokles. besorgt von Aug. Nauck. Berlin, Weidmann, 1877—1886.

ED. TOURNIER. Les Tragédies de Sophocle[3]. Paris, Hachette, 1886.

EDUARDUS WUNDERUS. Sophoclis Tragoediæ. Gothæ, Henning, 1850—58.

LEWIS CAMPBELL, Sophocles. Oxford. Clarendon Press. vol. I[2] 1879. vol. II 1881.

R. C. JEBB, Sophocles. Cambridge, University Press. 1887—1896.

GUSTAV WOLFF. Sophocles. bearbeitet von Ludwig Bellermann. Leipzig. Teubner (Aias[4] 1887, Elektra[3] 1880, Antigone[3] 1878. König Oidipus[3] 1885. Oidipus auf Kolonos 1883).

LOBECK, Aiax[3]. Berolini. Weidm.. 1866.

CHR. CAVALLIN. Sophoclis Philocteta. Lundæ. Gleerup. 1875.

GEORG KAIBEL. Sophokles Elektra. Leipzig. Teubner, 1896.

PETRUS N. PAPAGEORGIUS. Scholia in Sophoclis tragoedias vetera. Lipsiæ, Teubner. 1888.

FR. ELLENDT. Lexicon Sophocleum. Regimontii Prussorum 1835. Editio altera. curavit Herm. Genthe. Berolini 1882.

AUG. NAUCK. Tragicæ dictionis index. Petropoli 1892.

K. W. KRÜGER. Griechische Sprachlehre. Leipzig—Berlin 1871—1879.

RAPHAEL KÜHNER. Ausführliche Grammatik der Griechischen Sprache II[2]. Hannover. Hahnsche Hofbuchhandlung. 1870.

KARL BRUGMANN. Griechische Grammatik. Nördlingen. Becksche Buchhandlung. 1885. 2te Aufl. 1890.

FRIEDRICH BLASS. Grammatik des neutestam. Griech. Göttingen. Vandenhoeck und Ruprecht. 1896.

D. B. MONRO. Homeric Grammar[2]. Oxford. Clarendon Press. 1891.

W. W. GOODWIN. Syntax of the Moods and Tenses[2]. London. Macmillan and Co.. 1889.

B. DELBRÜCK, Syntaktische Forschungen I—IV. Halle 1871—1879.

B. DELBRÜCK. Vergl. Syntax der indogerm. Sprachen I. Strassburg. Trübner. 1893.

H. Schanz, Beiträge zur historischen Syntax I—IV. Würzburg, Stuber, 1882—1895.

W. Pape, Griechisch-Deutsches Handwörterbuch³. Braunschweig, Vieweg und Sohn, 1880.

Ceteros auctores, quibus usus sum, suo quemque loco laudabo.

Cap. I.

De assimilatione externa s. formali.

Assimilatio externa oritur, si e vocabulis, quæ formaliter inter se vim exercere non debebant, tamen propter vicinitatem vel associationem quandam, quæ in ejus qui loquitur animo inter ea intercedit, unum alterius formam sibi subjungit. Vel vocabulum de forma, quam propter suam in sententia positionem habere debebat, dejicitur et ad alius vocabuli congruentiam accommodatur. Exemplis res apertior fiet: *οὐδὲν* ***ὧν*** *λέγει ποιεῖ* (El. 319) pro *οὐδὲν (τούτων) ἃ λέγει ποιεῖ; σφόδρα ἡμῖν δεῖ* ***ἄκρων*** *εἶναι* ***τῶν ἀρχόντων*** (Plat. Civ. 459 b) pro *ἄκρους εἶναι τοὺς ἄρχοντας.*

I. De assimilatione formali generis et numeri.

a. Subjectum vel objectum pronominale, cum in neutro genere ponendum esset, substantivo, quod prædicatum est, genere et numero plerumque assimilari notum est. Cujus rei hæc causa est, quod subjectum (vel objectum, quod infra intelligendum est) et prædicativum eandem rem significant et subjecti notio predicativo definitur et declaratur. Ita in affirmativis enuntiatis. Aliter tamen res se habet, cum negativa sententia est. Tum enim subjectum idem atque prædicativum esse plane negatur. Nihilo minus ejusmodi exæquatio etiam ibi invenitur, quod analogiæ vi factum est [1]). Hujus rei exempla apud So-

[1]) Quod Ziemer Streifz. pag. 69 β dicit in latina lingua hoc non fieri, non verum est. Certe apud Ciceronem legitur: non amicitiæ ***tales***, sed conjurationes putandæ sunt.

phoclem inveni: O. C. 879 **τάνδ'** ἆρ' οὐκέτι νεμῶ πόλιν. O. C. 775 τίς **αὕτη** τέρψις ἄκοντας φιλεῖν; ubi sensus negativus est. Ant. 737 πόλις γὰρ οὐκ ἔσθ' **ἥτις** ἀνδρὸς ἔσθ' ἑνός. Ex ceteris exemplis satis est afferre: El. 6 ss. **αὕτη** - - - - - ἀγορὰ Λύκειος· **οὑξ** ἀριστερᾶς δ' **ὅδε** Ἥρας ὁ κλεινὸς ναός. Consimilia sunt fragm. 377 Ἀσία μὲν **ἡ ξύμπασα** κλῄζεται et 862 ἐλπὶς γὰρ **ἡ βόσκουσα** τοὺς πολλοὺς βροτῶν.

Nonnumquam hæc assimilatio omittitur ex. gr. fragm. 494 **τάδ'** ἐστὶ κνισμὸς καὶ φιλημάτων ψόφος. O. C. 883 ἆρ' οὐχ ὕβρις **τάδ';** quod ex quotidiani sermonis consuetudine videtur promptum esse (Schneid.). Similiter fere legimus El. 881 οὐχ **ὕβριν λέγω τάδε,** ubi codicis La scriptura prima retineri potest, quamquam plerique editores secundæ manus correctionem ὕβρει receperunt.

β. Pronomen relativum non correlati, sed prædicativi nominis genus et numerum interdum accipere nemo est qui ignoret. Exemplum invenimus El. 203 ss. ὦ νύξ, ὦ δείπνων ἀρρήτων ἔκπαγλ' ἄχθη, **τοὺς** ἐμὸς ἴδε πατὴρ θανάτους: quæ ut mortem vidit pater meus i. e. quæ cum vidit, mortem vidit. Nauck et Blaydes Reiskio auctore scribunt τοῖς. Sed si ab initio τοῖς fuisset, non intelligo, unde multo difficilior lectio τούς orta sit, et in melica parte dramatis, ubi audacior feratur oratio, hæc legi considerandum est. Tournier aliique putant τοὺς ἐμὸς cet. esse pro ὦ θάνατοι τοὺς - - - -. Confer Jebbii adn.

γ. Genus et numerus prædicati aliquando non subjecto, sed appositione ejus statuuntur. Idem fit, cum similitudo sive collatio subjecto adjuncta est. Exemplum Sophocles præbet O.C. 1081 ss., ubi Coloneorum senum chorus dicit εἴθ' ἀελλαία - πελειὰς - νεφέλας κύρσαιμι - **θεωρήσασα** τοὐμὸν ὄμμα, quamquam hic locus corruptior videtur esse, quam ut quidquam de eo pro certo affirmare audeam.

δ. Multo rarior res est, quæ duobus locis dramatis El. invenitur, qui sunt vv. 100 s. κοὐδεὶς τούτων οἶκτος ἀπ' **ἄλλης** ἢ 'μοῦ φέρεται, et v. 885 ἐγὼ μὲν ἐξ ἐμοῦ τε κοὐκ **ἄλλης** (intelligendum est εἰσακούσασα vel potius μαθοῦσα) - - - τῷδε πιστεύω λόγῳ. Utrobique pro feminino genere ἄλλης masculinum ἄλλου exspectamus; nam de homine quisquis est agitur. Sed mulier est quæ loquitur, et cum utroque loco artissime inter

se conjuncta pronomina sint, pronomen *ἐμοῦ* alteri *ἄλλης*, quod ad illius modo pondus augendum additum est, suum genus videtur intulisse. Nam quod aliqui priore loco *ἄλλης* ad sorores Electræ referunt, hoc non explicare est, sed sententiæ vim inferre. Neque mihi magis placet eodem loco cum Nauckio *ἀπ' ἄλλης ἢ 'μοῦ* resecare neque in posteriore cum Dindorfio aliisque *ἄλλου* aut *ἄλλων* scribere. Nam eandem tam insolitam structuram bis in eodem dramate errore irrepsisse mihi quidem maxime mirum videtur, et si feminina pronominis *ἐμοῦ* terminatio esset, librarii mendum unde ortum esset, facilius intelligerem. Tournier et Wolff recte comparant Eur. Alc. 17 *οὐχ εὗρε πλὴν γυναικός,* **ἥτις** *ἤθελεν θανεῖν πρὸ κείνου.* Et Kaibel in commentario ad v. 100 dicit: "Wie bei uns eine Frau sagen würde 'ich und keine andre hat's gethan', so auch im Griechischen." Contra tertius locus, qui ex Electra affertur, v. 1182 *οὔτοι ποτ'* **ἄλλην** *ἢ 'μὲ δυσφημεῖς,* primo quidem aspectu similis videtur, sed si accuratius rem perspexeris, aliter se eam habere apparebit. Hic enim nihil causæ est quin *ἄλλην* ad feminam referatur hoc modo: nulli mulieri nisi mihi maledicis i. e. hæc puella, quæ coram te asto cuique tu maledicis, ego Electra sum.

II. De assimilatione formali casuum.

a. Interdum fit, ut nominativus prædicati assimilatione ad vocativum, sive diserte dicitur vel scribitur sive cogitatione addendus est, hoc casu commutetur. Velut legitur Phil. 760 s. *ἰὼ δύστηνε σύ,* **δύστηνε** *δῆτα διὰ πόνων πάντων φανείς,* ubi eo facilior assimilatio est, quod ejusdem adjectivi vocativus proxime antecedit. Ex eodem genere est Ai. 695 ss. *ὦ Πὰν Πάν,* **ἁλίπλαγκτε** - - - *φάνηθι.* Phil. 827 s. cod. La præbet: *ὕπν' ὀδύνας ἀδαής, ὕπνε δ' ἀλγέων,* **εὐαὴς** *ἡμὶν ἔλθοις.* Pro *εὐαής* Hermann (Nauckio teste) ad metrum restituendum scripsit **εὐαές,** quod plerique editores receperunt et nobis credo probandum est. Etenim si primo *εὐαές* fuit, quomodo *εὐαής* correctione aut mendo scribentis illatum sit, facile intelligitur. Comparandum est Theocr. 17,66 *ὄλβιε κῶρε γένοιο,* et in latina lingua Tibull. I 7,53 sic venias hodierne. Plura exempla habes in Jebbii adn. ad Phil. 760 et Ziemer Str. p. 71 *γ*.

β. In græca lingua non minus quam in latina vocabula, quæ ipsa vi exuta ut vocabula modo afferuntur, tamen flectendo solent eas formas accipere, quæ si sententia spectaretur, propter locum, quem in enuntiato tenent, ponendæ erant ex. gr. verbum amandi. — Similis ratio est, cum in exclamationibus et appellationibus afferendis casus, quem verbum regens requirit, usurpatur. Ut legitur El. 148 **Ἴτυν,** *αἰὲν* **Ἴτυν** *ὀλοφύρεται,* quamquam re vera **Ἴτυς** mater dixit. — Eandem fere rem reperimus, ubi casus nominis repetiti eo verbo, quod repetitionem indicat, constituitur sicut Ant. 31 s. *τοιαῦτα - - - Κρέοντα σοὶ κἀμοί, λέγω γὰρ* **κἀμέ** *κηρύξαντ' ἔχειν.* Exemplum neglectæ hujus assimilationis, quod inusitatius est, legitur Ai. 569 *Τεῦκρος - τὸν παῖδα - Τελαμῶνι δείξει μητρί τ', Ἐριβοίᾳ λέγω.* Confer Ant. 567 **ἥδε** *μὴ λέγε* antecedente **τῆσδ'** *ἄτερ.* Creon dicit Ismenæ, ne illud pronomen *ἥδε* adhiberet de sorore, quæ jam non esset.

γ. In colloquio sæpe fit, ut is, qui respondet, alterius verba iteret aut eadem forma utatur, nonnumquam ita, ut si rationis norma judicamus, sententiæ non satisfiat. Sed ita graviores ictus veniunt, unde apparet ex ipso sensu hanc loquendi rationem fluxisse, qui, dummodo acrius et acerbius dicatur, logicæ regulas minoris facit. Exemplum præbent El. vv. 1035 s., ubi cum Electra dixit *ἀλλ' οὖν ἐπίστω γ' οἷ μ' ἀτιμίας ἄγεις,* Chrysothemis respondet **ἀτιμίας** *μὲν οὔ,* **προμηθίας** *δὲ σοῦ.* Credo plura exempla esse, sed serius mihi in mentem hujus rei venit, quam ut accuratius scrutari possem.

δ. In comparationibus prius membrum posterioris casum sæpe sibi assimilat. Nam in ipsa re similitudo est, neque si hæc in formam serpit. id mirum videtur. Is enim qui loquitur id modo agit, ut *similitudo* dilucide exprimatur, neque id curat aut sentit, utrum subjectum an quidlibet posterius membrum sit. Sunt loci, ubi structura, si connitaris, sine assimilatione expediri possit, ex. gr. O.C. 868 ss. *σέ τ' αὐτὸν καὶ γένος τὸ σὸν - - - Ἥλιος δοίη βίον τοιοῦτον οἷον* **κἀμὲ** *γηρᾶναί ποτε,* ubi pars commentatorum post *οἷον κἀμὲ* intelligunt *γηρᾶναι ἔδωκεν* [1]).

[1]) Quid Schneidewini ad hunc locum adnotatio sibi velit, equidem nescio. Nam primum structuram addendis verbis *γηρᾶναι ἔδωκεν* explicare videtur. Post de assimilatione loquitur.

mihi eorum sententia magis placet, qui accusativum assimilatione pro *οἷον κἀγώ*, intell. *γηράσκω*, positum esse dicunt, si quidem non deus, sed filii Oedipodi miseram illam senectutem pepererunt. Certe nemo est, quin videat ex ejusmodi locis in magis alienos assimilationem facillime percrebruisse. Non longe abest O. R. 772 s. *τῷ γὰρ ἂν καὶ μείζονι λέξαιμ' ἂν ἢ* ***σοί,*** de quo loco confer O. Schwab Syntax der Griech. Comp. pag. 260 (Schanz Beitr. IV). Præter illa exempla inveni hæc: Ai. 487 s. *πατρὸς ἐξέφυν, εἴπερ* ***τινὸς,*** *σθένοντος μέγα* i. e. *σθένοντος, εἴ τις ἔσθενεν.* O. C. 734 *πόλιν σθένουσαν, εἴ* ***τιν'*** *Ἑλλάδος, μέγα.* Tr. 103 ss. *πυνθάνομαι Δηιάνειραν, οἷά τιν' ἄθλιον* ***ὄρνιν,*** *οὔποτ' εὐνάζειν* cet. Ant. 1325 *τὸν οὐκ ὄντα μᾶλλον ἢ* ***μηδένα*** i. e. *ἢ τὸν μὴ ὄντα, ἢ ὁ μὴ ὢν ἔστι,* ita ut *μηδένα* pro *μηδείς* ad similitudinem prioris membri factum sit.

Ex eodem fonte usitata pronominis *οἷος* et sequentis subjecti assimilatio fluxit, cujus unum exemplum est Tr. 444 *πῶς δ' οὐ χἀτέρας (ἄρχει)* ***οἵας*** *γ'* ***ἐμοῦ*** pro *οἵα γ' ἐγώ εἰμι.* Hujus assimilationis usus in græca lingua liberior quam in latina est. Exempla omissæ assimilationis reperimus Schneid O. C. 565 adn.

ε. Ad pronomen relativum assimilatio casuum frequentissima est. Hæc aut progressiva aut regressiva est, prout correlato relativum aut relativo correlatum assimilatur.

a. *Progressiva* assimilatio quando fiat, in omnibus grammaticis accurate describitur. Cur autem fiat aut quid vere fiat, si quem in primario enuntiato locum relativum enuntiatum obtineat considerabimus, magis apertum erit. Nam ubi ejusmodi assimilatio exsistit, enuntiatum rel. *aut* substantivo attributi loco sive attributum est *aut* ipsum pro substantiva notione in genitivo aut dativo posita adhibetur ex. gr. *κτήμασιν ἃ ἔχομεν ἡδόμεθα* et *ἃ ἔχομεν ἡδόμεθα.* Hanc autem positionem alias ipsa *forma* Græci solebant significare sicut *κτήμασιν τοῖς ἡμετέροις ἡδόμεθα* et *τοῖς ἡμετέροις ἡδόμεθα.* Eandem formam vel potius formationem etiam ad relativa enuntiata transferre studebant, quantum fieri poterat, i. e. ad ipsum pronomen, quod subjunctum enuntiatum exordiebatur. Itaque illam totius enuntiati positionem, qua pro attributo aut substantivo erat, pronominis forma indicabant[1]). Quod cum fieret, pronomen rel., si ve-

[1]) Cfr Kühn. II 555.

rum quærimus, in sensu Græcorum quodammodo primarii enuntiati pars facta est aut medium quendam locum obtinuit, ita ut obscurata modo relativa notio in subjuncto enuntiato relinqueretur. Hoc firmari videtur ipso nomine, quod pronomini *ὅς ἥ ὅ* datum est, *ἄρθρον ὑποτακτικόν*, articulus qui subjungeret. Confer Blass Gram. Neut. Griech. p. 169, 2. Si quæritur, cur numquam fere, nisi si in accusativo pronomen relativum ponendum esset, assimilatio fiat, hanc opinor causam esse, quod accusativi notio minus definita atque insignis est ob eamque rem facilius continuo sermone intelligitur. Etiam alias sæpissime invenimus, ubi Græci accusativum pronominis toti sententiæ significandum reliquerint. Si pronomen rel. in dativo aut in nominativo neutrius generis esse debebat, aliquando sed raro assimilatio fit. Dativum assimilari posse facilius intelligimus, et in neutro genere ex ipsa terminatione videtur elucere nominativum et accusativum minus distinctos fuisse. Hujus proximæ rei exempla videbis Kr. 51, 10, 3. Apud Sophoclem nullum inveni. Interdum correlatum in ipsum relativum enuntiatum insertum est. Hoc aliud est. Tum enim ambo enuntiata inter se implicata et connexa sunt, cujus connexionis infra plura exempla videbimus. — Sexcenta apud Sophoclem hujus assimilationis exempla sunt, e quibus pauca eligam, quæ memoratione digna esse existimo. Pronomen *ὅστις* propter ipsam notionem assimilationem non pati notum est. Nam non de certa re, sed de universo genere adhibetur, unde fit, ut inter enuntiata solutior connexus sit. Exceptiones tamen sunt, apud Sophoclem: *ἐξ* **ὅτου** (O. C. 345, Ant. 12), *ἀνθ'* **ὅτου** (O. C. 967), **ὁθούνεκα** (Ai. 123, El. 1190 multisque aliis locis). Sed in his omnibus exemplis *ὅστις* ut plenior forma pro simplice pronomine adhibitum est. — Ant. 1068 *ἀνθ'* **ὧν** ita dictum est, ut pro *ἀντὶ τούτων ὅτι* esse videatur. Sed ex *ἀντὶ τούτων ἅ* hanc locutionem exstitisse luce clarius est et pronomen *ἅ* eodem modo explicatur atque O. R. 788 *ὧν μὲν (*i. e. *τούτων ἅ) ἱκόμην, ἄτιμον ἐξέπεμψεν.* Parva fortasse hæc res videtur et vix digna, de qua loquar. Sed aliqui incertum in modum de hac re dicunt. Contra Schneidewin aperte et recte: *ἀνθ' ὧν, ἀντὶ τούτων ἅ,* dafür dass, eodemque modo Jebb in adn. — Ant. 546 *μηδ'* **ἃ** *μὴ 'θιγες ποιοῦ σεαυτῆς*: Campbell et Jebb *ἅ* pro *ταῦτα ὧν* esse putant,

quod mihi quidem incertius videtur. — Non frequens est assimilatio, ubi enuntiatum relativum cum primaria enuntiatione nulla artiore societate conjungitur sicut apud Sophoclem O. C. 161 *κρατὴρ μειλιχίων ποτῶν ῥεύματι συντρέχει·* **τῶν** *εὖ φύλαξαι,* quod si retineri potest, quod quidem Jebb negat, analogiæ vi elicitum est.

Etiam *adverbia* locativa eodem modo interdum exæquantur, quod mihi liceat hoc loco complecti. Exempla sunt Tr. 701 *ἐκ γῆς* **ὅθεν** *προὔκειτο,* ubi *ὅθεν* pro *οὗ* dictum est, et Phil. 481 ss. *εἰσβαλοῦ* (Meinekii scriptura pro La *ἐκβαλοῦ*) *με* - - - **ὅποι** *ἥκιστα μέλλω τοὺς ξυνόντας ἀλγυνεῖν,* pro *ἐκεῖσε ὅπου.* Nauck *ὅπου* corrigit, ideo opinor, quod mutatio sine difficultate fit. Florentinum *Γ ὅπου* præbere minimi momenti est. Namque id nihil nisi jam antea emendatores fuisse declarat. Contra si primo *ὅπου* fuisset, difficilius est intelligere, unde in cod. La *ὅποι* venerit. Krüger (Att. Synt. 51, 10, 4) affert Thuc. I 89, 3 *οἱ Ἀθηναῖοι διεκομίζοντο* **ὅθεν** *ὑπεξέθεντο παῖδας καὶ γυναῖκας.*

b. Regressiva assimilatio antiquior videtur esse, cum jam apud Homerum certa exempla sint (Krüg. Poet. Synt. 51, 9, 2. Monro Hom. gram. 267, 4) [1]). Neque tamen admodum percrebruit, sed usus ejus semper multo rarior erat. Si de genere quæritur, hæc assimilatio illi plane contraria est. Hic enim correlatum ad enuntiatum rel. proxime applicatur et in structuram ejus constringitur. Si paulo longius res progreditur, in ipsum enuntiati rel. orbem correlatum includitur. Quod si factum est, progressiva rursus assimilatio fieri potest, unde has res continuo inter se ordine necti manifestum est. Exempla hæc sunt: Tr. 151 s. *τότ' ἂν τις εἰσίδοιτο* - - - - **κακοῖσιν** *οἷς ἐγὼ βαρύνομαι,* pro *κακὰ οἷς.* Tr. 283 **τάσδε** *ἅσπερ εἰσορᾷς,* - - - *χωροῦσι,* pro *αἵδε ἅσπερ.* O. R. 449 **τὸν ἄνδρα** *τοῦτον ὃν πάλαι ζητεῖς* - -, *οὗτός ἐστιν.* — O. C. 1150 **λόγος** *ὃς ἐμπέπτωκεν* - *ἐμοὶ* - -, *συμβαλοῦ γνώμην.* Assimilationem hoc loco esse apertum est. Quod autem in plerisque editionibus dicitur nominativum *λόγος* pro accusativo *λόγον* esse, qui a locutione *συμβαλοῦ γνώμην* pendeat, hoc nescimus. Campbell ad hunc locum recte dicit constructionem substantivi *λόγος* incertam

[1]) Præterea etiam in prisco *latino* sermone, quo Plautus utebatur, satis frequens illius assimilationis usus erat (Ziemer pag. 72 med.).

relictam esse et comparat Eur. Or. 591 ss. **Ἀπόλλων** ὅς - - στόμα νέμει σαφέστατον, - - **τούτῳ** πιθόμενος τὴν τεκοῦσαν ἔκτανον. Confer etiam Hymn. Cereris 66 **κούρην** τὴν ἔτεκον - -, **τῆς** ἀδινὴν ὄπ' ἄκουσα. — O. R. 936 s. **τὸ δ' ἔπος** οὐξερῶ τάχα, ἥδοιο μέν. In nulla editione, quam inspexerim, nisi Schneidewini de assimilatione dicitur, quamquam est manifesta. Neque enim, quod Tournier Matthiæo auctore dicit ἥδεσθαι cum accusativo jungi, huc pertinet. Nam id numquam fit, nisi cum pronomen neutrius generis est aut quævis substantiva notio cum participio juncta, unde pro dativo τὸ ἔπος esse apparet. — El. 652 ss. φίλοισί τε ξυνοῦσαν οἷς ξύνειμι νῦν - καὶ **τέκνων** ὅσων ἐμοὶ δύσνοια μὴ πρόσεστιν. De hoc dubito. Et tametsi Dindorf τέκνων per attractionem pro τέκνοις esse dicit et Schneidewin, Tournier, Kaibel consentiunt, tamen animus meus inclinat, ut Wolffii et Jebbii sententiam probem, qui τέκνων genitivum part. esse existimant a vocabulo τοσούτοις vel τούτοις pendentem, quod ex relativo ὅσων sumi possit. Ceterum in talibus rebus nos, quomodo antiqui homines ipsi senserint, dijudicare vix possumus. Wolff comparat Tr. 905 ἔκλαιε **ὀργάνων** ὅτου ψαύσειεν. Præterea conferendum est exemplum, quod ex inscriptione attica sæc. IV extr. Meisterhans promit (Gram. pag. 198, 25): ἔπραττεν . ., ὅπως φυλακὴ ἱκανὴ ἔλθοι Ἐλευ[σι]νάδε καὶ **τῶν ἄλλων** - ὅσων ἐδεῖτο εἰς φυλακὴν Ἐλευσῖνος.

In adverbiis ejusmodi assimilatio invenitur O. C. 1226 βῆναι **κεῖθεν** ὅθενπερ ἥκει, pro κεῖσε ὅθενπερ.

Alia regressivæ assimilationis exempla inveniuntur Krüg. Att. Synt. 51, 10, 9. Kühner Gram. II 555, 4, 5 et Anm. 14. Cav. Grek. Synt. 112 c, 2.

Assimilationis pronominum in locutionibus οὐδεὶς ὅστις οὐ et τίς ὅστις οὐ exemplum apud Sophoclem non inveni (Kr. Att. Synt. 51, 10, 11. Kühner Gram. II 555, 5).

Ab hac assimilatione non longe recedunt exempla, ubi appositio cum correlato jungenda non in hujus casu ponitur sed in relativi, i. e. a correlato ad relativum transfertur. Exempla sunt: Tr. 674 ss. ᾧ γὰρ τὸν ἐνδυτῆρα πέπλον ἀρτίως ἔχριον ἀργῆτ', οἰὸς εὐέρου **πόκῳ**, τοῦτ' ἠφάνισται, ubi πόκῳ appositio est subjecti, quod relativo enuntiato continetur — τοῦτο epanalepsis modo est — sed in ipsius pronominis casu positum. Con-

jecturis non opus est. Confer Nauck-Schneid. adn. h. l. El. 160 ζώει - - - ὅν γᾶ ποτε Μυκηναίων δέξεται, **Ὀρέσταν.** Conferre debemus C. I. A. I 324 σανίδες δύο, εἰς ἃς τὸν λόγον ἀναγράφομεν, δραχμῆς **ἑκατέραν** (A. 409 a. Chr. Meisterh. Gram.). Plura exempla Krüg. Poet. Synt. 57, 10, 2 et Lob. Ai.[3] pag. 293, 1.

Jam supra in enuntiatis rel. fieri vidimus, ut vocabulum e primario enuntiato in subjunctum transponeretur. Duo autem enuntiata ita inter se innecti non relativæ juncturæ proprium est sed etiam alias non raro invenitur. Quam rem inde opinor ortam esse, quod ambæ simul cogitationes in ejus qui loquitur mente exsistunt ac pari vi, unde fit, ut de primo loco quasi luctentur inter se. Quod ut magis perspicuum sit, ex multis pauca exempla proferam: O. R. 1251 ὅπως μὲν ἐκ τῶνδ' οὐκέτ' οἶδ' **ἀπόλλυται.** O. C. 874 s. ἄξω βίᾳ κεἰ μοῦνός εἰμι τόνδε καὶ χρόνῳ βραδύς. O. R. 644 s. μή νυν ὀναίμην, ἀλλ' ἀραῖος, εἴ σέ τι δέδρακ', ὀλοίμην, ὧν ἐπαιτιᾷ με δρᾶν. Plura exempla habes Campb. Sophoc. Ess. on the Lang. pag. 77 s. Etiam in latinis literis ejusmodi exempla sunt sicut Hor. Sat. I 5, 71 s. "Beneventum, ubi sedulus hospes Pæne macros arsit dum turdos versat in igne", ubi Gust. Krüger in editione comparat Sat. II 1, 60; 3, 133 et 211. His omnibus exemplis id commune est, quod illa innexione conjunctio syntactica vocabulorum mutata non est, quare de iis non meum est agere. Sed ob eam rem exempla attuli, ne quid singulare esse appareret id genus transpositionis, de quo jam disseram.

ζ. *Prolepsis* s. *anticipatio* subjecti aut alius partis sententiæ in iis enuntiatis, quæ objecti vel subjecti loco sunt, in græca lingua usitatissima est. Sic centum versibus Phil. 444, 493, 534, 544, 549. Etiam in latina lingua invenitur (Ziemer pag. 73) et in quotidiano sermone nostro haud raro usurpatur. Accurate de hac re agitur Krüg. Synt. 61, 6, ubi utique exempla multa et eximia sunt. — Si quid sit hæc prolepsis quæritur, eam speciem esse illius de qua proxime dixi enuntiatorum inter se implicationis illico videmus. Neque si ea quæstio est, quid in hominis loquentis mente fiat, quamobrem hujusmodi trajectione utatur, hoc ad intelligendum difficile erit. Nam cum in eo est, ut primariam sententiam eloquatur aut elocuturus sit, jam objectum i. e. tota subjuncta sententia animo ejus obversatur, notio

aliqua, quæ majoris est momenti, plerumque subjectum, de suo loco projicitur et in ambitum primarii enuntiati intrat. Gradus ex exemplis cognoscentur. O. R. 952 s. σκόπει κλύων **τὰ σέμν'** ἵν' ἥκει **μαντεύματα** (similiter O. C. 1424). El. 1427 μηκέτ' ἐκφοβοῦ **μητρῷον** ὥς σε **λῆμ'** ἀτιμάσει. Tr. 932 s. ἔγνω γὰρ τάλας **τοὔργον** κατ' ὀργὴν ὡς ἐφάψειεν **τόδε.** Ai. 346 s. προσβλέπειν ἔξεστί σοι τὰ τοῦδε πράγη **καὐτὸς** ὡς ἔχων κυρεῖ. O. R. 1524 ss. λεύσσετ' **Οἰδίπους** ὅδε, ὃς - - -, εἰς ὅσον κλυδῶνα - - ἐλήλυθεν. Necdum anticipata notio de forma, quam in suo enuntiato eam habere oportet dejecta est. Plerumque tamen hoc fit, ita ut vocabulum anticipatum etiam in structuram primarii enuntiati inseratur, i e. *assimilatio* oritur. Sed cum hæc res angustiore sensu prolepsis vel anticipatio præcipue appelletur, infra a translaticio usu non recedam. Pauca exempla afferam. El. 332 οἶδα **κἀμαυτὴν** ὅτι ἀλγῶ ἐπὶ τοῖς παροῦσιν. Ai. 118 ὁρᾷς, 'Οδυσσεῦ, **τὴν** θεῶν **ἰσχὺν** ὅση. Phil. 549 s. ἤκουσα **τοὺς ναύτας** ὅτι σοὶ πάντες εἶεν συννεναυστοληκότες. Tr. 98 s. τοῦτο καρῦξαι **τὸν** 'Αλκμήνας πόθι μοι πόθι **παῖς** ναίει, ubi quodammodo duplex anticipatio est, siquidem τοῦτο subjunctum enuntiatum præoccupat. Tr. 297 ταρβεῖν **τὸν εὖ πράσσοντα** μὴ σφαλῇ ποτε.

His in exemplis trajecta notio in subjuncto enuntiato *subjectum* est. Quod etsi multo usitatissimum est, etiam alias prolepsis invenitur, sicut *dativi* O. R. 767 s. δέδοικ' **ἐμαυτὸν** μὴ εἰρημένα ᾖ **μοι;** quamquam hic locus facilis intellectu est, quoniam εἰρημένα ᾖ μοι idem valet atque εἰρηκὼς ὦ. — *Accusativus* etiamsi ante suum enuntiatum positus est, sæpe difficile est dijudicare, utro verbo eum regi putandum sit, ex. gr. Phil. 249 οὐ γὰρ οἶσθά **μ'** ὅντιν' εἰσορᾷς. Tr. 628 s. τὰ τῆς ξένης ὁρῶν προσφθέγματ' **αὐτήν** θ' ὡς ἐδεξάμην. Confer Phil. 676 ss. O. R. 947 s. Mihi quidem persuasum est his locis et aliis ejusmodi græcos accusativum cum utroque verbo junctum sensisse. Alia exempla talis in medio positionis inveniuntur Campb. Ess. on the Lang. pag. 67 s. Ceterum veram partem primarii enuntiati accusativum nonnumquam factum esse exempla declarant, quale est Hom. Od. III 15 πόντον ἐπέπλως, ὄφρα πύθηαι **πατρὸς** ὅπου κύθε γαῖα (Krüg. Poet. Synt. 61, 6, 4). Similiter neutrius generis vocabula utrum in nominativo esse putandum

sit ad sequens verbum relata an in accusativo ad antecedens referenda, interdum dubium est.

Postremo ut de loco dicam, quem anticipata notio in enuntiato primario obtinet, plerumque *accusativus* objecti fit, cujus rei plura exempla nihil attinet afferre. Græcis tamen hujus accusativi naturam non satis perspectam fuisse inde apparet, quod etiam post passiva verba, ex. gr. *λέγεται*, eum usurpaverunt, cujus rei exempla habemus Krüg. A. S. 61, 6, 3. Apud Sophoclem nullum est. — Etiam *nominativus* subjecti proleptica notio interdum fit. Exempla Kr. l. l. Apud Sophoclem in hoc genere numeranda sunt El. 525 s. **πατὴρ** *γάρ, οὐδὲν ἄλλο, σοὶ πρόσχημ' ἀεὶ ὡς ἐξ ἐμοῦ τέθνηκεν* pro *ὡς γὰρ πατὴρ τέθνηκεν ἐξ ἐμοῦ,* - - - et Ant. 252 *ἄσημος* **οὐργάτης** *τίς ἦν,* si cum Wexio et Tourniero *τίς*, non *τις* scribendum est. Quod tamen in medio relinquo. Nam codicem La *τίς* præbere minimi momenti est, et utram scripturam eligimus, et sententia et structura apertæ sunt. — In *genitivo* cum verbo aut nomine juncto et in *casu cum præpositione* trajecta notio aliquando posita est. Exempla Kr. A. S. 61, 6, 4 et 5. Apud Sophoclem nullum inveni.

η. Similem rem in infinitivi structuris non raro invenimus. Fit enim, ut notio, quæ, si sententiam spectes, ut subjectum, objectum, adverbiale artius cum infinitivo cohæret, ab hac societate disjungatur et cum regenti vocabulo, sive verbum sive nomen est, colligetur. Exemplum præbet Ant. 490 *κείνην ἐπαιτιῶμαι* **τοῦδε** *βουλεῦσαι* **τάφου.** Etiam hanc rem Krüger prolepsim s. anticipationem appellat (61, 6, 8 et 9). Unum locum eligam, de quo Ziemer paulo copiosius disseruit (Str. pag. 137 im. Cfr. pag. 99 d.). Est enim Dem. Ol. 2, 4 *ὧν οὖν ἐκεῖνος μὲν ὀφείλει* - - - *χάριν,* **τούτων** *οὐχὶ νῦν ὁρῶ τὸν καιρὸν τοῦ λέγειν,* ubi equidem genitivum anticipatione et assimilatione explico, Ziemer autem structuram *associatione* ortam esse putat *duarum* locutionum, quæ sunt **τὸν καιρὸν τούτων** *οὐχὶ νῦν ὁρῶ* et **τὸν καιρὸν τοῦ λέγειν ταῦτα** *οὐχὶ νῦν ὁρῶ*. Neque per se hoc absurdum videtur. Sed propterea præferendam meam sententiam esse puto, quod inter hanc rem et illam, de qua proxime dixi, tanta similitudo et convenientia est, ut etiam explicatione vix possint separari. Sed alia res mihi scrupulum

injecit. Neque enim quisquam ignorat infinitivum quasi mortuum casum substantivi fuisse, quo græci omnibus temporibus adverbialiter uterentur, ita ut limitationem, finem, consequentiam significaret [1]) ex. gr. *ὁ παῖς καλὸς ἦν ἰδεῖν* = *ὁ παῖς καλὸς ἦν τὸ εἶδος* s. *κατὰ τὸ εἶδος*, et si hoc ad exemplum jam allatum accommodatur, *κείνην ἐπαιτιῶμαι τοῦδε βουλεῦσαι τάφου* = *κείνην ἐπαιτιῶμαι τοῦδε τάφου κατὰ τὸ βουλεῦσαι* s. *κατὰ τὴν βούλευσιν*, latine: illam accuso hujus sepulturæ, quod ad consilium attinet. Multis quidem locis res ita expediri et potest et debet, credo tamen in aliis vix licere, præsertim si infinitivus *εἶναι* est, ex. gr. *σφόδρα ἡμῖν δεῖ* **ἄκρων εἶναι τῶν ἀρχόντων.** Quid enim est illud *ἡμῖν δεῖ τῶν ἀρχόντων ἄκρων κατὰ τὸ εἶναι?* Languidum sane et molestum. Credo equidem et hoc et illud ad ejusmodi constructiones creandas valuisse sed, utrum quoque loco plus valuerit, raro quemquam discernere posse. Itaque a re mea non alienum puto exempla, quæ quidem possint hoc genere anticipationis expediri, in ordinem redacta proferre.

a. *Subjectum* infinitivi anticipatum. Tr. 56 s. *εἰ* **πατρὸς** *νέμοι τιν' ὥραν τοῦ καλῶς πράσσειν δοκεῖν*, ubi subjectum infinitivi *πατέρα* anticipatione cum substantivo *ὥραν*, a quo infinitivus pendet, junctum est. Velim conferas adn. Jebbii. In hoc genere numerandum esse puto O. C. 1443 s. **ταῦτα** *δ' ἐν τῷ δαίμονι καὶ τῇδε φῦναι χἀτέρᾳ*, latine: hæc penes deum sunt, utrum hoc modo fiant an illo, pro hac forma sententiæ: penes deum est, utrum hæc - - -.

b. *Internum objectum* infinitivi anticip. Exemplum præbet Plato de leg. 626 *δοκεῖς μοι* **τῆς** *θεοῦ* **ἐπωνυμίας** *ἄξιος εἶναι ἐπονομάζεσθαι*. Similiter explicari potest Phil. 891 s. *οὔπὶ νηὶ ἅλις* **πόνος** *τούτοισι συνναίειν ἐμοί* pro *ἅλις τούτοισι συνναίειν ἐμοὶ τὸν ἐπὶ νηὶ πόνον* i. e. *ἐπίπονον συνουσίαν*. Item Kaibelio auctore El. 219 s. *τὰ δὲ τοῖς δυνατοῖς οὐκ ἐριστὰ πλάθειν* pro *τὰ δὲ πλάθειν τοῖς δυνατοῖς οὐκ ἐριστόν ἐστιν* vel *τὸν τοιοῦτον πλησιασμὸν πλάθειν τοῖς δυνατοῖς οὐκ ἐριστόν ἐστιν.*

a et b. Et *subjectum* et *internum objectum* anticip. Tr. 169 s. **τοιαῦτ'** *ἔφραζε πρὸς θεῶν εἱμαρμένα* **τῶν Ἡρακλείων**

[1]) Delbrück Synt. Forsch. IV p. 121 ss. K. Brugmann Gr[2] § 170. L. Grünenwald Inf. der Limitation im Griech. p. 1 (Schanz. Beitr. II). Goodwin Moods and Tenses §§ 741 ss.

ἐκτελευτᾶσθαι **πόνων,** quam enunciationem sic construo: ἔφραζε τοιαῦτα εἱμαρμένα πρὸς θεῶν τῶν Ἡρακλείων πόνων (i. e. περὶ τῶν - -) ἐκτελευτᾶσθαι pro ἔφραζε εἱμαρμένον πρὸς θεῶν **τοὺς** Ἡρακλείους **πόνους** ἐκτελευτᾶσθαι **τοιαῦτα** (ubi τοιαῦτα internum obj. esset), sive servato ordine τοιαῦτ' ἔφραζε πρὸς θεῶν εἱμαρμένον τοὺς Ἡ - ους ἐκτελευτᾶσθαι πόνους, ita ut et τοὺς - πόνους et τοιαῦτα cum verbo εἱμαρμένα anticipatione juncta sint. Latine est: dixit a diis statutum esse, ut Herculei labores hunc in modum finirentur. Jebb complures explanationes affert. Plerique critici hunc locum aut resecant, quod minimi laboris est, aut multis modis mutant. Meo quidem judicio utrumque supervacaneum est.

c. *Accusativus objecti* anticip. Ant. 490 κείνην ἴσον ἐπαιτιῶμαι **τοῦδε** βουλεῦσαι **τάφου.** Ant. 1098 **εὐβουλίας** δεῖ, παῖ Μενοικέως, λαβεῖν. El. 542 s. ἢ **τῶν ἐμῶν** Ἅιδης τιν' ἵμερον **τέκνων** ἢ **τῶν** ἐκείνης ἔσχε δαίσασθαι pro ἢ Ἅιδης τιν' ἵμερον ἔσχε τὰ ἐμὰ τέκνα δαίσασθαι πλέον ἢ τὰ ἐκείνης. O. C. 1211 ὅστις **τοῦ πλέονος μέρους** χρῄζει τοῦ μετρίου παρεὶς ζώειν pro ὅστις χρῄζει τὸ πλέον μέρος ζώειν cet. O. C. 752 **ἥδε** - - - οὐ γάμων ἔμπειρος ἀλλὰ (οὖσα vel ἐστι) τοὐπιόντος ἁρπάσαι pro τοὐπιόντος ἐστὶ τήνδε ἁρπάσαι, latine: in cujuslibet hominis potestate est hanc rapere. O. C. 1581 s. ἃ δ' ἦν τὰ πραχθέντ' οὔθ' **ὁ μῦθος** ἐν βραχεῖ φράσαι πάρεστιν οὔτε τἄργ' ὅσ' ἦν ἐκεῖ pro ἀλλὰ οὔτε τὸν μῦθον, τίνα ἦν - -, πάρεστιν φράσαι ἐν βραχεῖ οὔτε τὰ ἔργα, ὅσα ἦν ἐκεῖ, ἦν ἐν βραχεῖ (Tournier). O. R. 1169 πρὸς **αὐτῷ** γ' εἰμὶ **τῷ δεινῷ** λέγειν pro πρὸς τῷ αὐτὸ τὸ δεινὸν λέγειν. Ai. 165 s. χἠμεῖς οὐδὲν σθένομεν **πρὸς ταῦτ'** ἀπαλέξασθαι σοῦ χωρίς pro οὐδὲν σθένομεν ἀπαλέξασθαι ταῦτα - -. Scholiasta πρὸς ταῦτα jungit cum verbo ἀπαλέξασθαι, quod pro ἀντιτάξασθαι esse dicit. Sed neque post ἀπαλέξασθαι neque post synonyma ἀπαμύνεσθαι aut ἀμύνεσθαι talem structuram inveni, neque mea vocabula jungendi ratio difficultatem habet. Plerique editores tacent. Blaydes ἀνταμείβεσθαι sine causa proponit. — Simili modo fortasse explanandum est Phil. 81 ἡδὺ γάρ τι κτῆμα **τῆς νίκης** λαβεῖν. Legitimum erat dicere ἡδὺ γάρ τι κτῆμα τὴν νίκην λαβεῖν. Sed victoriæ notio cum substantivo κτῆμα conglutinata est. Præterea poterat dici etiam sic: ἡδὺ γάρ τι κτῆμα **ἡ νίκη** λαβεῖν. Schneidewin

explet ita: *ἀλλ' ἡδὺ γάρ τοι*[1]) *κτῆμά (ἐστι τὸ κτῆμα) τῆς νίκης λαβεῖν* et dicit structuram, quam habemus, commixtione duarum locutionum ortam esse: *ἡδὺ γὰρ κτῆμα τὴν νίκην λαβεῖν* et *ἡδὺ γὰρ τὸ κτῆμα τῆς νίκης λαβεῖν.* Comparat etiam exempla, quale est Eur. Andr. 181 *ἐπίφθονόν τι χρῆμα* **θηλειῶν** *ἔφυ.* Confer Jebbii adn. Verum quid causæ est, quin etiam ejusmodi loci attractione et assimilatione explicentur. Neque tamen id contendo *non posse* fieri, ut Schneidewin ceterique, qui idem sentiunt, rectius viderint. Nam inde postremo omnia pendent, quomodo in scriptoris mente structura exstiterit. Neque in tali re quidquam, nisi quod verisimile videtur, cogitatione consequi possumus.

d. Dativus personæ anticipatus. O. C. 1496 s. *ὁ ξένος* **σε καὶ πόλισμα** - *ἐπαξιοῖ δικαίαν χάριν παρασχεῖν παθών* pro *ὁ ξένος ἐπαξιοῖ δικαίαν χάριν παρασχεῖν σοι καὶ πολίσματι.* At dicat aliquis: fieri non potest, ut *ἐπαξιοῦν* et accusativum personæ et infinitivum simul regat. Nam aliud hoc verbum significat, si cum accusativo jungitur, aliud, si infinitivus sequitur. Hoc recte dicitur, illud non recte. Neque enim id magis mirum est, quam si *διδάσκειν* et alia verba cum duobus accusativis, personæ et rei, junguntur. Confer etiam O. R. 1417 ss. **τὴν** *γοῦν πάντα βόσκουσαν* **φλόγα αἰδεῖσθ'** *ἄνακτος Ἡλίου τοιόνδ' ἄγος ἀκάλυπτον οὕτω* **δεικνύναι,** quod latine esset: flammam Solis veremini tale piaculum intectum ostendere pro: flammæ Solis veremini tale piaculum intectum ostendere, flammam Solis venerantes nolite - - -. Et intima hujus rei causa in eo posita est, quod in verbo sive vocabulo quolibet pronuntiando, licet id, si consilium ejus qui loquitur respicias, angustiore atque adeo angustissima significatione fiat, universa illius vocabuli vis animo ejus quamvis obscure obversatur, unde fit, ut non modo hæc clara et aperta significatio, sed etiam illa, quæ obscurior et magis remota est, ad sententiam formandam valeat. Eodem modo se hæc res habet atque in videndo, cum quis unum punctum, in quod animum intendit, acrius cernit, cetera autem, quæ in conspectum veniunt, obscuriora sunt, sed in oculis tamen

[1]) *τοι* Dind. et alii. Recentiores tamen editores plerique (Nauck. Bellermann, Blaydes, Cavallin, Campbell, Jebb) *τι* scripturam codicis La restituerunt.

imago oritur et in animo aliquo modo concipiuntur. Ut ea, quæ dixi, ad exemplum, quod attuli, adhibeam, poeta id spectabat, ut diceret: *ὁ ξένος* **σοὶ** *καὶ* **πολίσματι** *ἐπαξιοῖ* (i. e. *pro debito habet*) *χάριν παρασχεῖν.* Cum hac significatione alia, quæ est *dignum habere,* se associavit eique immiscuit, unde factum est, ut accusativus pro dativo proveniret. Longus fui. Sed quæ disserui, non ad hæc solum exempla, sed ad multa pertinent.

c et d. Et *dativus* et *accusativus* anticipati. Phil. 60 ss. *οἵ* **σε** *- στείλαντες - - - οὐκ ἠξίωσαν* **τῶν** *Ἀχιλλείων* **ὅπλων** *ἐλθόντι δοῦναι κυρίως* [1]) *αἰτουμένῳ,* ubi **σε** etiam ad *ἠξίωσαν* intelligendum est, pro *οὐκ ἠξίωσαν* **τὰ Ἀχίλλεια ὅπλα σοι** *ἐλθόντι δοῦναι.* Longius h. l. res processit, sed ratio eadem est atque O. C. 1495 ss., de quo loco proxime egi.

e. Genitivus anticipatus. Ai. 924 *ἄξιος* **θρήνων** *τυχεῖν.* El. 364 **τῆς σῆς** *δ' οὐκ ἐρῶ* **τιμῆς** *τυχεῖν.* Ant. 699 **χρυσῆς** *ἀξία* **τιμῆς** *λαχεῖν.* — In his exemplis anticipationem admittere non necesse est, verisimile tamen videtur et Sophoclem in scribendo et populum in audiendo genitivum cum regenti vocabulo vel cum utroque simul junctum sensisse. Huic sententiæ ipsa vocum locatio certe in proximis duobus exemplis argumento est..

ϑ. In *participialibus* structuris similis anticipatio nonnumquam sed rarius reperitur. Ita structura facile explicatur El. 47 *ἄγγελλε δ'* **ὅρκῳ** *προστιθείς,* ubi nulla correctione opus est. Aliud exemplum legitur Ant. 23 ss. *Ἐτεοκλέα μέν, ὡς λέγουσι,* **σὺν δίκῃ** *χρησθεὶς* **δικαίᾳ καὶ νόμῳ** *κατὰ χθονὸς ἔκρυψε,* quamquam hic locus multis de causis corruptus videtur esse. Ceterum si codicum scriptura retinetur, fortasse melius ad *χρησθείς* intelligitur *αὐτῷ.* Confer Campb. Comparandum est Ai. 253 s. *πεφόβημαι* **λιθόλευστον Ἄρη** *ξυναλγεῖν μετὰ τοῦδε τυπείς,* ubi Jebb putat *Ἄρη* accusativum objecti esse ad verbum finitum *πεφόβημαι,* cognatum acc. ad infinitivum *ξυναλγεῖν,* accusativum interni objecti ad part. *τυπείς.*

---

[1]) Quod Nauck (Krit. Anh.) ad adverbium *κυρίως* dicit: „*κυρίως* ist unverständlich". vix dignum est, quod refellatur. Nam quæ est maxime propria hujus adverbii notio nisi in domini modum. Quo modo verus dominus suam rem poscere solet, ita Neoptolemus, ut finxit, arma patris flagitavit.

ι. Etiam in alia structura prolepticam assimilationem, si hoc nomine uti licet, inferre velim, dico *σχῆμα καθ' ὅλον καὶ μέρος,* in quo persona et pars in eodem casu ponuntur. Quid enim fit? Substantivum vero, quod alteri substantivo in genitivo attribuendum erat, ab hoc separatur et ad verbum enuntiati *trajicitur* atque *assimilatur*, i. e. formam recipit, quæ in nova conjunctione aptior est, ita ut pro se utrumque ipso verbo regatur. Hanc loquendi rationem Wilamowitz [1]) esse dicit "ein ausfluss der energischen auf die hauptsache losgehenden, die logische hypotaxe verschmähenden weise der alten sprache." Exempla sunt hæc: El. 147 ***ἐμὲ*** *ἁ ὄρνις ἄραρεν φρένας.* Ant. 319 *ὁ δρῶν* ***σ'*** *ἀνιᾷ τὰς φρένας, τὰ δ' ὦτ' ἐγώ.* O. R. 718 ***νὶν*** *ἄρθρα κεῖνος ἐνζεύξας ποδοῖν.* Phil. 823 *ἱδρώς* ***νιν*** *πᾶν καταστάζει δέμας.* Phil. 1301 *μέθες* ***με,*** *πρὸς θεῶν, χεῖρα.* Θ. C. 314 *κυνῆ πρόσωπα θεσσαλίς* ***νιν*** *ἀμπέχει.* Fragm. 173 a (in supplemento Nauckii) *τὴν ῥῖνά* ***μ'*** *εὐθὺς ψηλαφᾷ* (ex scriptura codicis *τὴν ῥῖναν εὐθὺς ψιλαφᾶι*). Fragm. 304 *πιστοί* ***με*** *κωχεύουσιν ἐν φορᾷ δέμας.* Tr. 831 s. *εἰ γάρ* ***σφε*** *Κενταύρου φονίᾳ νεφέλᾳ χρίει δολοποιὸς ἀνάγκα πλευρά.* Cum Bothio (teste Tourniero) *πλευρά* ad sequens participium *προστακέντος* referre neque mihi placet neque licet. Tr. 225 s. *οὐδέ* ***μ'*** *ὄμματος φρουρὰν παρῆλθε τόνδε μὴ λεύσσειν στόλον,* si cum Musgravio (Nauckio teste) et omnibus credo post eum editoribus *φρουρ**άν*** pro scriptura codicis La *φρουρ**ά*** legendum est. Quamquam vix absurdum est dicere: neque custodia oculorum me præteriit i. e. reliquit vel destituit. Sed in hac re non pertinacior sum. O. C. 113 *σύ* ***μ'*** *ἐξ ὁδοῦ πόδα κρύψον κατ' ἄλσος.* Plerique critici recentiores (etiam Jebb) hunc versum multis modis emendant. Neque tamen adeo mira codicum scriptura est. Hermann rem recte fere vidit. Dicit enim *σύ μ' ἐξ* cet. idem esse atque *ἄγουσα πόδα ἐμὸν ἐξ ὁδοῦ, κρύψον με κατ' ἄλσος.* Atque necesse est hoc loco *ducendi* notio verbo *κρύψον* implexa sit. Neque enim aliter adverbiale *ἐξ ὁδοῦ* intelligi potest. Sed si ducendi notio subest, quid tum difficultatis res habet? Confer quæ Wilamowitz (l. l.) dicit, si poeta *ἐμὸν πόδα* posuisset, neminem impug-

---

[1]) Wilamowitz-Moellendorff Euripides Herakles[2] Commentar ad v. 162.

naturum fuisse. Quod Campbell (adn.) dicit **με** *πρὸς τὸ σημαινόμενον* regi tota locutione *πόδα κρύψον*, quod idem sit atque *(λάθρᾳ) ὑπέξαγε*, hoc artificiosius quam verius videtur.

III. De assimilatione formali in adjectivis attribuendis.

Si genitivus substantivo adjunctus est, interdum fit, ut adjectivum, quod rectius ad genitivum referendum erat, primario nomini assimiletur, quod non tum modo fit, cum substantiva illa compositionem quandam efficiunt, sed etiam si utriusque notio clare eminet. De tota re confer Wilam. Eur. Herakles ad v. 468. Hæc exempla inveni: Ai. 8 *κυνὸς* **εὔρινος** *βάσις*, pro *κυνὸς εὐρίνου βάσις*. Ant. 793 *νεῖκος ἀνδρῶν* **ξύναιμον,** pro *ξυναίμων*. Fragm. 731 v. 3 s. *ἀνδρὸς αἷμα* **συγγενὲς** *κτείνας*. O. C. 297 **πατρῷον** *ἄστυ γᾶς*. Ai. 860 **πατρῷον** *ἑστίας βάθρον*. Tr. 817 s. *ὄγκον ὀνόματος* **μητρῷόν.** Ant. 862 **ματρῷαι** *λέκτρων ἆται*. O. R. 161 **κυκλόεντ'** *ἀγορᾶς θρόνον*. O. R. 1400 **τοὐμὸν** *αἷμα πατρὸς*. El. 1390 **τοὐμὸν** *φρενῶν ὄνειρον*. Tr. 964 *ξένων* **ἐξόμιλος** *βάσις*. El. 492 s. **ἄλεκτρ' ἄνυμφα** - *μιαιφόνων γάμων ἁμιλλήματα*. Ant 980 *ματρὸς ἔχοντες* **ἀνύμφευτον** *γονάν* (Jebb in adn. "having their origin from an unhappily - married mother"). O. R. 1375 s. *ἢ τέκνων δῆτ' ὄψις ἦν ἐφίμερος*, **βλαστοῦσ'** *ὅπως ἔβλαστε*, ubi sententia *βλαστόντων* requirit. O. C. 266 s. *τὰ ἔργα μου* **πεπονθότ'** *ἐστὶ μᾶλλον ἢ* **δεδρακότα** pro *πεπονθότος ἢ δεδρακότος*. O. R. 1214 s. *τὸν ἄγαμον γάμον* **τεκνοῦντα** *καὶ* **τεκνούμενον** pro *τεκνοῦντος καὶ τεκνουμένου*. — Ab his exemplis non multum differt Ai. 49 *ἐπὶ* **δισσαῖς** *στρατηγίσιν πύλαις*, quod videtur idem esse atque *ἐπὶ δισσῶν στρατηγῶν πύλαις*. Confer etiam hæc: El. 1071 **διπλῆ** *φύλοπις* = *διπλῶν τέκνων φύλοπις*. O. R. 122 *οὐ* **μιᾷ** *ῥώμῃ* = *οὐχ ἑνὸς ῥώμῃ*. Ant. 767 *νοῦς* **τηλικοῦτος** = *νοῦς τηλικούτου*. Ai. 55 **πολύκερων** *φόνον* = *πολύκερων* (i. e. *πολλῶν καὶ κερασφόρων*) *ζώων φόνον*. Cum hoc loco vulgo comparatur Ai. 64 & 297 *εὔκερων ἄγραν*. Sed in hac locutione structura facilior est, quia nomen *ἄγραν* ipsa pecora capta significat. — Denique ejusdem fere generis est Ant. 863 s. *κοιμήματα* **αὐτογέννητα** *ἀμῷ πατρὶ δυσμόρου ματρός*, ubi ex-

spectamus *κοιμήματα αὐτογεννήτῳ ἀμῷ πατρὶ - -*. Dindorf sic explicat: connubium Iocastæ cum Oedipo, quem ipsa pepererat.

IV. De assimilatione formali temporum et modorum.

α. Vera temporis trajectio fortasse nobis statuenda est Phil. 1394 *πείσειν δυνησόμεσθα μηδέν*. Sed verisimile est futurum infinitivi h. l. ejusdem generis esse atque post verba voluntatis, de qua re infra agam (Cap. III, XVI *β*).

Si in primario enuntiato tempora historica hypothetico sensu posita sunt, etiam in subjunctis enuntiatis interdum eadem tempora assimilatione usurpari notum est. Sed cum tempora hac significatione posita modorum vice fungantur, hanc rem simul cum modorum trajectione in sequenti incisione tractabo.

β. Si primarii enuntiati ratio hypothetica aut optativa aut potentialis est, in subjuncto enuntiato finali, relativo, temporali idem modus (vel tempus modali vi) atque in enuntiato prim. sæpe invenitur. Hæc formarum congruentia plus minusve *assimilatione* orta esse putatur. Etiam in latino sermone similem *conjunctivi* usum sæpe inveniri Ziemer ostendit (Str. pag. 83 s.). Et quam facile ejusmodi modorum exæquatio fiat, ex nostra loquendi ratione cognoscere licet. Sæpe enim hoc modo vel similiter dicimus: "Om du vore flitig, medan du *vore* ung, så finge du hvila, när du *blefve* gammal." In hoc exemplo sententia nihil fere mutata præsens ind. in enuntiatis temp. adhibere possumus, unde apparet conjunctivi usum mera formæ trajectione ortum esse. Eadem in græco sermone ratio est. Sed ut vera assimilatio nonnumquam invenitur, sic certe hoc nomen in grammaticis et librorum commentariis non raro perperam usurpatur. Et fateor rem sæpe difficillimum esse dijudicare, præsertim cum in potentiali ratione ea versetur. Sed quamquam in hanc rem accuratius inquirere et delectationis et utilitatis multum haberet, tamen hoc tempore nihil fere nisi exempla, quæ aliquo modo in hoc numero haberi possint, in genera disposita in medium proferam. Præterea de hac re cfr Kühn. II 399, 6.

A. Verbum enuntiati primarii *in indicativo* historicorum temporum ad irrealitatem significandam.

a. Subjunctum enuntiatum *finale* est. O. R. 1389 *οὐκ ἂν ἐσχόμην τὸ μὴ ἀποκλῇσαι τοὐμὸν ἄθλιον δέμας, ἵν' **ἦ** τυφλός τε καὶ μηδὲν κλύων.* El. 1131 ss. *ὡς ὤφελον πάροιθεν ἐκλιπεῖν βίον πρὶν - - -, ὅπως θανὼν **ἔκεισο** τῇ τόθ' ἡμέρᾳ.* O. R. 1391 ss. *τί μ' οὐ λαβὼν ἔκτεινας εὐθύς (= εἴθε μ' ἔκτεινας), ὡς **ἔδειξα** μή ποτε - - -.* Modus conjunctivus, ut qui *voluntatem* exprimeret, finalium enuntiatorum proprius atque principalis erat. Sed cum natura regentis enuntiati finalis enuntiati ratio proxime cohæret. Velut, si primarium enuntiatum optationem significat, etiam finale enuntiatum optationem exprimit. Inde facile intelligitur, qui fieri potuerit, ut ea modalis forma, quæ regentis enuntiati propria esset, etiam in subjunctum enuntiatum trajiceretur. Duæ enim rationes, in exemplis, quæ supra attuli, *voluntatis* vel consilii et *irrealitatis,* in enuntiato finali exprimendæ erant. Ipsa forma utrumque simul non poterat. Unde fiebat, ut, prout alterutra notio præponderaret, hæc in forma creanda majorem vim haberet. Altera autem universa sententia satis significata erat. Sic fere Phil. Weber in libro [1]), quem accurate et copiose de finalibus enuntiatis scripsit, originem et vim hujus structuræ explanat. Commemorat Aeschylum esse, apud quem hæc structura primum inveniatur (Prom. 747. Cho. 195. Prom. 152). Confer Goodwin Moods 316, 333 ss.

b. Subjunctum enuntiatum *relativum.* Unum exemplum apud Sophoclem est: O. C. 925 ss. *οὐδ' εἰ τὰ πάντων εἶχον ἐνδικώτατα, ἄνευ γε τοῦ κραίνοντος, ὅστις **ἦν,** χθονὸς οὔθ' εἷλκον οὔτ' ἂν ἦγον,* ubi, nisi enuntiatum regens in hypothetica ratione esset, poeta sine dubio pro *ὅστις ἦν* scripsisset *ὅστις ἂν ᾖ* (= quisquis est). Sed illa ratio tantam vim in animo ejus exercuit, ut etiam in relativo enuntiato formando valeret. Alia exempla Krüg. Att. Synt. 54, 10, 6; 53, 2, 7; Goodwin Moods 528, 559. — Jam apud Homerum indicativus hoc modo usurpatus invenitur post *ὤφελον* in regenti enuntiato (Monro Hom. Gram. 325).

[1]) Philipp Weber Entwickelungsgeschichte der Absichtssätze (Schanz Beitr. II). De hac re præcipue disserit Erste Abth. pag. 82 s.

c. Subjunctum enuntiatum *temporale.* Apud Sophoclem nullum exemplum inveni. Exempla habemus Krüg. Att. Synt. 54, 10, 6 (post *ἕως*), Monro Hom. Gram. 325 (Od. 4, 178 post *πρίν γ' ὅτε*), Cav. Synt. 183, 1 *(πρίν, ὁπότε)*, Goodwin Moods 528.

B. Verbum regentis enuntiati in *optativo* est sine particula *ἄν optationem* significans.

a. Subjunctum enuntiatum *finale.* Ai. 1217 ss. *γενοίμαν - - - ὑπὸ πλάκα Σουνίου, τὰς ἱερὰς ὅπως* ***προσείποιμεν*** *Ἀθάνας.* Tr. 953 ss. *εἴθ' ἀνεμόεσσά τις γένοιτ' - - αὔρα, ἥτις μ' ἀποικίσειεν ἐκ τόπων, ὅπως - - - μὴ ταρβαλέα* ***θάνοιμι.*** Phil. 324 s. *θυμὸν γένοιτο χειρὶ πληρῶσαί ποτε, ἵν' αἱ Μυκῆναι* ***γνοῖεν.***

Quæ ad ***A a*** dixi, etiam huc pertinent. Præterea Phil. Weber (l. l.) recte animadvertit optativum, qui conjunctivo magis cognatus esset et alias post tempora præterita in enuntiatis finalibus adhiberetur, facilius quam indicativum in finale enuntiatum illatum esse. Et vero jam in Odyssea ejusmodi usus optativi invenitur, ex. gr. 14, 407 (Monro Hom. Gr. 306, 1 b). Apud Aeschylum semel, Eum. 298. Cfr Weber Entw. d. Abs. pag. 83, 94. Neglecta apud Sophoclem assimilatio semel est Tr. 1109 *προσμόλοι μόνον, ἵν' ἐκδιδαχθῇ* (apud Hom. post *ὄφρα* assim. semel, negl. quater; post *ἵνα* assim. bis, negl. ter. Weber). Cfr Goodwin Moods 181.

b. Subjunctum enuntiatum *relativum.* Tr. 953 s. *εἴθε - - γένοιτο - αὔρα, ἥτις μ'* ***ἀποικίσειεν.*** — In hoc exemplo enuntiatum relativum finalem vim habet et partem optati chori significat, qua re optativi usus facilis intellectu est. Multo audacior assimilatio est Phil. 528 s. *μόνον θεοὶ σῴζοιεν ἔκ τε τῆσδε γῆς ἡμᾶς ὅποι τε -* ***βουλοίμεσθα*** *πλεῖν*, ubi enuntiatum relativ. certum locum, Trojam, circumscribit. Neque enim quod oratio ambiguitate tragicis consueta ita instituta est, ut Philoctetes Neoptolemum de Trachinia patria loqui crederet, hoc quidquam ad optativi usum pertinet. Similis locus sed *sine assimilatione* est Phil. 779 s. *γένοιτο δὲ πλοῦς οὔριός τε κεὐσταλής, ὅποι ποτὲ θεὸς* ***δικαιοῖ*** *χὠ στόλος* ***πορσύνεται.*** Exempla ex Homeri libris sumpta Monro 305 a. Cfr Cav. Synt. 171 bb; Kr. Poet. Synt. 54, 14, 3; Goodwin Moods 563.

c. Subjunctum enuntiatum *temporale.* Tr. 656 s. *μὴ*

σταίη πολύκωπον ὄχημα ναὸς αὐτῷ, πρὶν τάνδε πρὸς πόλιν **ἀνύσειε.** Phil. 961 ὄλοιο μήπω, πρὶν **μάθοιμι.** J. Sturm [1]) ostendit apud Sophoclem primum optativum post particulam πρίν illo modo usurpatum inveniri. Sed in *casu* hoc situm esse mihi verisimile videtur et propter hypotheticam naturam particulæ **πρὶν** (sæpe idem fere atque εἰ μή) et id cogitanti, quod post compositum illud et vi maxime cognatum **πρὶν ὅτε** indicativus assimilatione ortus primum invenitur (Od. IV 178). Et facillime id fieri potest, si quidem omnino ejusmodi assimilatio rarior est, et omnium, quæ Græci scripserunt, longe minima pars exstat. Hæc propterea dixi, quia viri docti, qui M. Schanzii magni operis participes sunt, singularia exempla justo pluris æstimare videntur, ita ut statim de gradibus et processu dicant. — Etiam post alias conjunctiones temp. optativus assimilatione ortus est. Exempla Monro Hom. Gram. 308, 1 b; Krüg. Poet. S. 54, 17, 3; Cav. Synt. 183, 1.

C. Verbum regentis enuntiati in *optativo* est *potentiali* vi.

a. Subjunctum enuntiatum *finale*. Apud Sophoclem nullum exemplum assimilationis est. Contra post potentialem conjunctivus usurpatur El. 1441. Exempla inveniuntur Arist. Pa. 411 *(βούλοιντ' ἂν - - - ἵνα λάβοιεν -)*; Plat. Rep. II 370 d; sæpius apud Xen. ut Cyr. I 6, 22; Anab. III 1, 18 (Weber Entwickel. Abth. II pag. 80).

b. Subjunctum enuntiatum *relativum*. Tr. 1235 τίς ἂν ἕλοιτο, ὅστις μὴ **νοσοῖ.** O. C. 560 s. δεινὴν γάρ τιν' ἂν πρᾶξιν τύχοις λέξας, ὁποίας **ἐξαφισταίμην** ἐγώ. Phil. 407 ss. ἔξοιδα γάρ νιν παντὸς ἂν λόγου κακοῦ γλώσσῃ θιγόντα καὶ πανουργίας, ἀφ' ἧς μηδὲν δίκαιον ἐς τέλος **μέλλοι** ποιεῖν. O. C. 776 ss. ὥσπερ τις εἴ σοι λιπαροῦντι μὲν τυχεῖν μηδὲν διδοίη μηδ' ἐπαρκέσαι θέλοι πλήρη δ' ἔχοντι θυμόν, ὧν **χρῄζοις,** τότε δωροῖθ', ὅτ' οὐδὲν ἡ χάρις χάριν **φέροι.** Ai. 1093 s. Tournier Hartungio auctore scripsit οὐκ ἄνδρα θαυμάσαιμι, ὃς ἁμαρτάν**οι.** Sed codicum scriptura ἁμαρτάν**ει** servanda est. Ant. 372 ss. μήτε μοι παρέστιος γένοιτο μήτ' ἴσον φρονῶν ὃς τάδ' ἔρδ**ει.** Sic plerique, sed Campbell scripsit ἔρδ**οι,** ut dicit e cod. La,

---

[1]) Geschichtl. Entwickel. der Constr. mit πρίν (Schanz Beitr. I). De hac re pag. 288 sum.

quod Jebb negat. Confer Ai. 1073 s. ubi sine dubio scribendum est *οὐ - - νόμοι καλῶς φέροιντ' ἄν, ἔνθα μὴ καθεστήκῃ δέος.*

Hoc modo etiam apud Homerum optativus usurpatus invenitur (Monro 305 b). Cfr Krüg. Att. S. 54, 14, 3; Poet. S. 54, 14, 2. Utrum in his exemplis assimilatio ad optativum efficiendum valuerit, an hæc a principio justa ac legitima forma sit, mihi non assumo, ut dijudicem, in primis quod quam plurimis exemplis collatis opus est, ut, quæ in iis natura optativi sit, intelligamus. Sed quoniam verbum regentis enuntiati ad præsens tempus spectat, unde effici videtur subjuncti enuntiati verbum in indicativo (vel potentiali i. e. optativo cum particula *ἄν*) aut conjunctivo cum particula *ἄν* ponendum fuisse, certe absurdum non est putare has formas propter subjuncti enuntiati ad primarium intimam applicationem optativo, quem habemus, mutatas esse. Præterea, quæ dixi, etiam ad exempla, quæ jam sequentur, pertinent.

c. Subjunctum enuntiatum *temporale*. O. C. 778 s. supra jam attuli. O. R. 505 *ἀλλ' οὔποτ' ἔγωγ' ἄν, πρὶν* **ἴδοιμι** *ὀρθὸν ἔπος, μεμφομένων ἂν καταφαίην.* Ejusmodi exemplum Theogn. 125 (Sturm Entwickel. pag. 274). Vide Monro 308, 1 b; Krüg. Att. Synt. 54, 17, 2; Poet. Synt. 54, 17, 3.

Animadvertendum est assimilationem omissam esse: Tr. 2 s. *ὡς οὐκ ἂν αἰῶν' ἐκμάθοις βροτῶν, πρὶν ἂν* **θάνῃ** *τις.* Ai. 1117 *οὐκ ἂν στραφείην, ἕως* (Cod. *ὡς*) *ἂν* **ᾖς,** *οἷός περ εἶ.*

V. De assimilatione formali totius enuntiati.

Ejusmodi assimilatione Schneidewin (Wolff, Dindorf, Tournier) structuram explanat O. C. 1018 ss. Creon *τί δῆτ' ἀμαυρῷ φωτὶ προστάσσεις ποιεῖν;* Thes. *ὁδοῦ κατάρχειν τῆς ἐκεῖ,* **πομπὸν δ' ἐμὲ χωρεῖν** pro pleno enuntiato *πομπὸς δ' ἐγὼ χωρήσω.* Schneidew. comparat Il. III 88 *ἄλλους μὲν κέλεται* (Paris) *τεύχεα κάλ' ἀποθέσθαι,* **αὐτὸν** *δ' ἐν μέσσῳ* **καὶ** *ἀρηίφιλον* **Μενέλαον** *οἴους ἀμφ' Ἑλένῃ καὶ κτήμασι πᾶσι* **μάχεσθαι.** Schneidewini opinio fortasse confirmatur collato Ant. 1277 ss. *ὦ δέσποθ', ὡς ἔχων τε καὶ κεκτημένος, τὰ μὲν πρὸ χειρῶν τάδε φέρων, τὰ δ' ἐν δόμοις ἔοικας ἥκειν* **καὶ** *τάχ'* **ὄψεσθαι** *κακά,* ubi pro part. *ὀψόμενος,* quod expectamus, *καὶ ὄψεσθαι* forsitan

attractione locutionis *ἔοικας ἥκειν* exstiterit. Sententia est hæc: ut verus dominus malorum venire videris, alia in manibus ferens, alia mox in ædibus visurus. — Confer tamen Jebbii adn. ad O. C. 1015. Potest et h. l. et Il. III 88 ex verbo regenti alia sed consimilis notio sumi, quæ posterius membrum regat. — Contra sæpe a subjunctione ad coordinationem transitur ex. gr. Tr. 267 *πολλὰ ἐπεῤῥόθησε - - - λέγων - - -* **φωνεῖ** *δὲ - -* pro participio *φωνῶν δὲ - -*. Alia exempla Ai. 457; Ant. 815, 828; Phil. 216, 605; fragm. 363. Sed hæc dissimilatio potius quam assimilatio est.

Cap. II.

De assimilatione interna sive reali.

Hujus generis assimilationis id proprium est, quod ex duobus vocabulis intime inter se conjunctis, qualia sunt substantivum cum appositione, subjectum et prædicatum, correlatum et relativum pluraque similia, subjunctum non formam sed vim regentis vocabuli sequitur. Interna pro externa congruentia fit (Krüg. 58, 1, 2. Ziemer Str. pag. 86. Kühn. II 359). Divisionem Ziemeri retinui, quamquam inter hanc exæquationem et tertium genus, quod ille 'Kombinationsausgleichung' appellat, meo quidem judicio haud multum interest. Quid sentiam, exemplo illustrabo. In enuntiato *Λαὸς Ἀχαιῶν* **ἐπικείσονται** (Grex Achivorum aggredientur) Ziemer dicit pluralem verbi interna exæquatione ortum esse, et ita est: vi enim, non forma subjecti *λαός* numerus prædicati statuitur. Sed illa vis vel interna sive propria significatio nonne ea notio aliqua pluralis numeri est, ex. gr. *οἱ Ἀχαιοί,* quæ in loquendo vel scribendo poetæ animo obversata pluralem numerum verbi effecit? Denique nonne enuntiatum *λαὸς Ἀχαιῶν ἐπικείσονται* compromisso dicere licet exstitisse e duobus: *λαὸς Ἀχαιῶν ἐπικείσεται* et *οἱ Ἀχαιοὶ ἐπικείσονται?* Quæ ad hoc exemplum dixi, ad omnia facile transferri possunt. Ceterum pleraque, quæ in hac parte afferam, ad constructionem *κατὰ σύνεσιν* referuntur (Krüg. 58, 63. Kühn. II 359 ss.) aut in anacoluthorum numero habentur.

VI. De assimilatione reali generis.

a. Si persona neutrali aut omnino impersonali nomine significatur, conjuncta vocabula, ut notissimum est, plerumque naturale genus recipiunt. Exempla sunt: O. R. 1167 *τῶν Λαΐου* **τις** *ἦν γεννημάτων.* Phil. 713 *ὦ μελέα ψυχά,* **ὃς** - -. Ai. 357 s.

γένος ναΐας ἀρωγὸν τέχνας, ἅλιον **ὃς** ἐπέβας ἑλίσσων πλάταν. O. C. 1692 ὦ **διδύμα** τέκνων **ἀρίστα,** ubi omnes fere codices neutrum adjectivorum præbent, editores autem plerique ad metrum restituendum femininum scripserunt. El. 206 s. *διδύμαιν,* χειροῖν, αἵ - - - **οἷς** θεὸς ὁ μέγας Ὀλύμπιος ποίνιμα πάθεα παθεῖν πόροι. Confer in latino sermone "capita conjurationis *cæsi,* monstrum, *qui*". Confer Phil. 497 s. **τὰ τῶν διακόνων,** ὡς εἰκός, οἶμαι, τοὐμὸν ἐν σμικρῷ μέρος **ποιούμενοι** τὸν οἴκαδ' **ἤπειγον** στόλον, ubi quomodocumque illud τὰ τῶν διακόνων explanandum est, et part. ποιούμενοι et verbum finitum ἤπειγον subjectum requirit οἱ διάκονοι.

β. Similis fere ratio est, si in impersonali notione, quod interdum fit, genus mutatur, ex. gr. Phil. 758, ubi post νόσημα **αὕτη** sequitur, ideo credo quod in Græcorum animis femininum quasi naturale genus notionis morbi erat. Confer Tr. 987 **ἡ** δ' αὖ μιαρὰ βρύκει, ubi **ἡ** sine substantivo ad morbum spectat. Item ἥδε (Ph. 807) et αὕτη (Ph. 758) de morbo usurpantur. Non longe abest Phil. 1439, ubi antecedente nomine Ἴλιον, quod Jebb contendit post Homerum neutrius generis esse, poeta femininum αὐτήν posuit, nimirum de nomine Τροία vel πόλις cogitans. Simili modo Delbrück putat nonnumquam factum esse, ut genera nominum prorsus permutarentur ("Geschlechtswechsel in Folge von Veränderung der inneren Sprachform". Synt. Forsch. IV pag. 6 ss. Cfr Vergl. Synt. pag. 132).

VII. De assimilatione reali numeri (et generis).

α. Collectiva sæpe ut pluralia construuntur. Exempla sunt: O. C. 1070 **ἄμβασις οἳ** τιμῶσιν. Phil. 356 s. **στρατὸς** πᾶς ἠσπάζετο, **ὀμνύντες.** Fragm. 695 **χορὸς** δ' ἀναύδων ἰχθύων ἐπερρόθει, **σαίνοντες** (vel potius **σαίνουσι** δ' Nauckio auctore) οὐραίοισι τὴν κεκτημένην. Ant. 707 ss. **ὅστις - - - οὗτοι - -.** Phil. 305 ss. τάχ' οὖν **τις** (mången) ἄκων ἔσχε - - - **οὗτοι.** Ai. 758 ss. **τὰ** περισσὰ κἀνόητα **σώματα** - - - **ὅστις** - - -. El. 1505 s. **τοῖς πᾶσιν** - **ὅστις.** Ejusdem fere generis est Ant. 1021 s. **οὐδ' ὄρνις** εὐσήμους ἀπορροιβδεῖ βοάς,- **βεβρῶτες** -. Nam idem est atque καὶ οὐδεὶς ὄρνις vel καὶ οἱ ὄρνιθες οὐκ - -. Simile exemplum Phil. 446 s. **οὐδέν** πω **κακόν** γ' ἀπώλετο,

ἀλλ' εὖ περιστέλλουσιν **αὐτὰ** δαίμονες. Confer O. C. 1453, ubi **ταῦτα** ad antecedens *οὐδὲν* **ἀξίωμα** *δαιμόνων* refertur. Memorabilius propter intricatas inter se collectivam et pluralem notiones est Ai. 234 s. **ποίμνην, ὧν τὴν μὲν** *ἔσω σφάζ' ἐπὶ γαίας,* **τὰ δὲ** - -. Ab his exemplis non multum abhorret Tr. 547 ss. *ὁρῶ γὰρ* **ἥβην** *τὴν μὲν ἕρπουσαν πρόσω, τὴν δὲ φθίνουσαν·* **ὧν** *ἀφαρπάζειν φιλεῖ ὀφθαλμὸς ἄνθος,* **τῶν** *δ' ὑπεκτρέπει πόδα.* A substantivo abstr. *ἥβην* mens Deianiræ ad homines transit, qui dissimili ætate sunt. Relativum *ὧν* ad prius illud *ἥβην τὴν μὲν ἕρπουσαν πρόσω* spectat, cum conjux Herculis maxime de Iola florenti ac tenera puella cogitet. Et pronomen rel. posse ad prius ex duobus vocabulis conjunctis referri testimonio est O. C. 86 s. **Φοίβῳ** *τε κἀμοὶ μὴ γένησθ' ἀγνώμονες,* **ὅς** *μοι* - -. Editores alii aliter locum expediunt. Cfr fragm. 531 *θνητὴν δὲ* **φύσιν** *χρὴ θνητὰ φρονεῖν, τοῦτο* **κατειδότας,** *ὡς οὐκ ἔστιν πλὴν Διὸς οὐδεὶς τῶν μελλόντων ταμίας, ὅτι χρὴ τετελέσθαι.* Primo versu Grotio auctore vocabulorum ordo mutatus est, ut metrum conveniret.

β. Etiam post substantivum in singulari de certo homine aut de certa re positum non raro fit, ut pronomen, quod ad id referendum est, in plurali numero ponatur. Plerumque pronomina *ἑαυτούς, αὐτοί, σφέτεροι* illo modo usurpantur (Krüg. 58, 4, 3), sed nonnumquam etiam alia. Sicut legimus Ant. 1072 *νέκυν·* **ὧν.** In hoc genere collocandum est El. 140 ss. *ἀλλ' ἀπὸ τῶν μετρίων ἐπ' ἀμήχανον* **ἄλγος** *ἀεὶ στενάχουσα διόλλυσαι, ἐν* **οἷς** *ἀνάλυσίς ἐστιν οὐδεμία κακῶν.* Nam etsi structura h. l. durior est, quia enuntiatum rel. cum regenti enuntiato artius cohæret, tamen facilior res videbitur, si reputaverimus proxime antecedere *ἀπὸ τῶν μετρίων,* intell. *ἀλγέων* — nam id melius videtur quam cum Tourniero vertere "de la moderation" —, unde quasi echo quædam in animo loquentis sive scribentis hominis facile remanet. Sunt qui post *διόλλυσαι* majore signo interpungant. Alii *ἐν οἷς* ad totum antecedens enuntiatum referunt. Sed illud ineptum est, hoc ad difficultatem evitandam videtur inventum esse [1]).

---

[1]) Quod Nauck dicit "*ἀνάλυσισ* ist unstatthaft", scripturam codicum probam esse intelliges collato Æschyl. Cho. 158 *ἴτω τις δορυσθενὴς ἀνήρ, ἀναλυτὴρ δόμων:* salvator domus.

γ. E contrario oratio nonnumquam a plurali numero ad singularem transit velut Ant. 1165 ss. *τὰς γὰρ ἡδονὰς ὅταν προδῶσιν* **ἄνδρες**, *οὐ τίθημ' ἐγὼ ζῆν* **τοῦτον** (i. e. *τὸν τοιοῦτον* Schol.). Fragm. 535 *οὐ χρή ποτ'* (Campb. *χρὴ πότ'*) **ἀνθρώπων** *μέγαν ὄλβον ἀποβλέψαι· τανυφλοίου γὰρ ἰσαμέριος [φύλλοισιν] αἰγείρου βιοτὰν ἀποβάλλει*, ubi a plurali *ἀνθρώπων* singularis *ἄνθρωπος* ad verbum *ἀποβάλλει* mutuandus est. In hunc numerum referendum est Phil. 645 s. *ἀλλ', εἰ δοκεῖ,* **χωρῶμεν**, *ἔνδοθεν* **λαβών**, *ὅτου σε χρεία καὶ πόθος μάλιστ' ἔχει*. Neque enim cum Dobræo aliisque **λαβόνθ'** scribendum esse puto. Nam interdum in græco sermone, utique apud Thucydidem fit, ut in periodo substantivum semel positum in alio enuntiato alium numerum significet, etiamsi id non disertis verbis dicatur, cujus generis hæc species est. Cfr Ant. 407 ss. *ὅπως γὰρ ἥκομεν* cet. Nam quamquam plurali numero inde ab initio nuntius utitur, primo de se uno dicit, post (a participio *σήραντες*) verba ejus ad omnes custodes spectant. Recte comparat Schneidewin Aesch. Eum. 141 s. *ἀνίστα, κἀπο***λακτίσασ'** *ὕπνον ἰδώμεθ'* - -. Simile exemplum Xen. An. II 6, 1 invenitur. Contra exemplum, quod Kühn. II 371, 5, 2 affert, Tr. 335, dissimile est. Ibi enim participium est in responsione, ubi verbum regens in justa forma intelligendum est. — Cfr Il. III 211 *ἄμφω δ' ἑζομένω γεραρώτερος ἦεν Ὀδυσσεύς*.

δ. Cum quis de se in plurali, qui dici solet majestatis, loquitur, abrupte sæpe numerum mutari bene scimus, neque exempla afferre operæ pretium est. — Cur femina si illo plurali utitur, masculinum genus usurpet (El. 399. Ant. 926. Tr. 492), intelligemus natura hujus locutionis perspecta. Nam si quis ita loquebatur, non de se modo dicebat, sed de se et aliis qui cum eo aliqua societate conjuncti erant. Certe initio sic erat, unde structura immutata retinebatur. Fortasse cum hac re cohæret, quod græca mulier, cum de feminis in universum diceret, sæpe masculino genere utebatur, sicut Deianira dicit Tr. 151 s. *τότ' ἄν τις εἰσίδοιτο, τὴν* **αὑτοῦ** *σκοπῶν πρᾶξιν, κακοῖσιν οἷς ἐγὼ βαρύνομαι*, quocum loco comparandum est El. 771 (*πάσχοντι*). Contra in latina lingua assimilatio ad principalem notionem fit. Ut Dido dicit: sic moriemur *inultæ*.

ε. Si subjectum ex duobus vel pluribus membris constat, numerus verbi potiore notione sæpe statuitur, ex. gr. Tr. 881 ss. *τίς θυμὸς ἢ τίνες νόσοι τάνδ'* - - **ξυνεῖλε.**

VIII. De assimilatione reali casuum.

Ad illam, de qua jam dixi, generum et numerorum exæquationem facere non possum, quin aliam ad sensum structuram, quæ ad casus pertineat, adjungam, dico si in appositivo aut prædicativo statu alium casum, atque exspectamus, reperimus. Omnia hæc in nominali aut verbali congruentia, quæ dicitur, versantur. Et aliqua certe exempla ejusmodi sunt, ut cum iis formis assimilationis, de quibus jam disserui, proxime cohæreant et consentiant. Alia fateor longius abesse, utilissimum tamen mihi videtur omnia in unum locum colligere. Ziemer has structuras in tertium assimilationis genus refert et simul cum aliis rebus in singulos casus dispertitur.

a. *Nominativus* interna assimilatione ortus. In Græco sermone, præcipue apud Thucydidem, nominativus participii absolute ita usurpatus invenitur, ut structura hoc modo explicanda esse videatur. Exempla habes Krüg. Att. Synt. 56, 9, 3 & 4; Poet. S. 56, 9, 1—3. Apud Sophoclem exemplum præbent O. R. vv. 60 s. *νοσεῖτε πάντες, καὶ* **νοσοῦντες,** *ὡς ἐγὼ οὐκ ἔστιν ὑμῶν ὅστις ἐξ ἴσου νοσεῖ.* Si formam spectasset, poeta *νοσούντ***ων** posuisset. Sed *οὐκ* - - *ὅστις* gravior modo locutio est pro *ὑμεῖς οὐκ* - -, quod in cogitato eloquendo prævaluit. Si **ὑμῶν** abesset, quod facile abesse potuit, numeri exæquatio esset et structura prorsus eodem modo se haberet atque Ant. 1021 *οὐδ' ὄρνις* - *ἀποῤῥοιβδεῖ βοάς*, - **βεβρῶτες.** Hoc proximum exemplum Ziemer sine dubio in internam assimilationem referret. Nam tametsi ejusmodi exempla diserte non exhibet, hoc tamen ex iis, quæ pag. 87 im. ss b et c dicit, videtur elucere. Illud autem in tertio genere exæquationis ponit. Sed quam nihil fere intersit, videmus. Tournier comparat Plat. Phileb. 29 B *μὴ γὰρ* **δυνάμενοι** *τοῦτο* - - *δρᾶν,* - - **οὐδεὶς** *εἰς οὐδὲν οὐδενὸς ἂν* **ἡμῶν** *οὐδέποτε γένοιτο ἄξιος.* Aliud exemplum est Ant. 259 s. *λόγοι ἐν ἀλλήλοισιν ἐῤῥόθουν κακοί,* **φύλαξ ἐλέγχων** *φύλακα* (Cfr Jebbii adn.), quocum comparandum est

Ant. 411 ss. *καθήμεθα* - - -, **κινῶν ἄνδρ' ἀνήρ.** Similia exempla Schn. in adn. h. l. plura affert, e quibus unum eligam Æsch. Prom. 200 *στάσις τ' ἐν ἀλλήλοισιν ὠροθύνετο,* **οἱ μὲν** *θέλοντες* - - -, **οἱ δὲ** *τοὔμπαλιν σπεύδοντες.* — Plus abhorrent hæc exempla: O. R. 158 ss. *πρῶτά σε* **κεκλόμενος** - - - *προφάνητέ* **μοι** (quinque vv. infra). Chorus incipit, quasi *λίσσομαι* sequatur, post autem id ipsum, quod optat, promit. (In Wolffii adn. ad h. l. plura exempla afferuntur. Adde Eur. I. T. 964, Hipp. 22.) — Phil. 1385, ubi postquam Philoctetes a Neoptolemo quæsivit *λέγεις δ' Ἀτρείδαις ὄφελος ἢ ἐπ' ἐμοὶ τόδε;* hic respondet *σοί που* **φίλος** *γ'* **ὤν,** *χὠ λόγος τοιόσδε* **μου.** Hoc loco si post *φίλος γ' ὤν* ex antecedentibus verbum *λέγω* suppletur, ut plerique editores supplent, legitima constructio est, sed vocabula illa *χὠ λόγος τοιόσδε μου* languidissima videntur. Ea autem explicatione, quam ego præfero, elegans sententia fit: quoniam ego tibi amicus sum, etiam sermo meus tibi amicus est. — Contra externa potius assimilatione structura explananda est O. C. 1360 s. *ἀλλ'* **ἐμοὶ** *μὲν οἰστέα τάδ', ἕωσπερ ἂν ζῶ, σοῦ φονέως* **μεμνημένος,** si quidem pro dativo *μεμνημένῳ* nominativus attractione intercedentis enuntiati provenit. Quamquam dubitari non potest, quin, etiamsi illud enuntiatum abesset, nihilo minus poeta *μεμνημένος* scribere potuerit. Et recte Schneidewin in adn. h. l. extr. addit: "zumal *ἐμοὶ οἰστέα τάδε* s. v. a. *ἐγὼ τάδ' οἴσω*" [1]).

β. *Accusativus.* Præclarum exemplum est Ant. 1001 *ἀκούω φθόγγον* **ὀρνίθων, κλάζοντας,** ubi *κλάζοντας* pro genitivo factum est, quia *φθόγγον ὀρνίθων* idem atque *φθεγγομένους ὄρνιθας* est. Neque hoc exemplum multum ab iis discrepat, quæ Wolff ad h. l. affert, Hom. Il. II 459 *ὀρνίθων ἔθνεα* **ἀγαλλόμενοι** et XVII 755 *ψηρῶν νέφος ἔρχεται ἠὲ κολοιῶν, οὖλον* **κεκληγότες.** Nam quamquam dici potest in his exemplis generis et numeri exæquationem esse — nam *ἔθνεα* et *νέφος* h. l. collectivam vim habent, et post collectiva interna assimilatio oritur

[1]) Dindorf et Tournier sine justa causa scribunt *μεμνημένον*, quod etiamsi ponatur, structura assimilatione explicanda est. Alterum exemplum, quod Campbell Ess. on the Lang. § 15, 1 affert, O. R. 1354 s., meo quidem judicio aliter explanandum est.

— quid tamen tale interest, quod ad ipsam naturam structuræ pertineat? In his omnibus exemplis *ὄρνιθες* opinor principalis notio erat, quam Græci verum subjectum aut verum objectum esse sentiebant, etiamsi vocabulis, quæcumque erant, fortuito additis ab illa positione erat remota. — Aliud exemplum est Ai. 811 s. *οὐχ ἕδρας ἀκμὴ σῴζειν* **θέλοντας** *ἄνδρα γ' ὃς σπεύδῃ θανεῖν*, ubi *οὐχ ἕδρας ἀκμή* idem valet atque *οὐχ ἧσθαι δεῖ*[1]). Paulo remotius videtur esse El. 479 s. *ὕπεστί* **μοι** *θράσος, ἁδυπνόων* **κλύουσαν** *ἀρτίως ὀνειράτων : ὑπέρχεταί με, θαρσύνει με* (Schn.). Cum hoc loco recte comparantur Æsch. Pers. 913 s., Cho. 410 s. Præter hoc proximum Schneidewin plura exempla profert, verum in hunc locum non conveniunt, quoniam infinitivus intercedit, qua re alia ratio fit. Ut El. 959 ss. **ᾗ** *πάρεστι μὲν στένειν - - ἐστερημένῃ, πάρεστι δ' ἀλγεῖν - γηράσκουσ***αν**, ubi causa accusativi *γηράσκουσαν* videtur a principali usu repetenda esse, dativus autem *ἐστερημένῃ* externa assimilatione ad rel. *ᾗ* provenisse (Ziem. Str. pag. 75 *η*).

γ. *Dativus.* O. R. 350—4 *ἐννέπω* **σε** *τῷ κηρύγματι - - - ἐμμένειν, κἀφ' ἡμέρας τῆς νῦν προσαυδᾶν μήτε τούσδε μήτ' ἐμέ, ὡς* **ὄντι** *γῆς τῆσδ' ἀνοσίῳ μιάστορι*. Structuram facile intelligere est, quia *ἐννέπω* etiam cum dativo jungitur, sicut El. 1367 *σφῷν δ' ἐννέπω*. Vel ut accuratius dicam, hoc modo se res habet. Verbum *ἐννέπειν* hoc sensu (edicere, imperare) cum *dativo* personæ jungitur, *accusativus* autem propter infinitivum ortus est eodem modo atque post verbum *λέγειν* similiaque accus. cum inf. non raro sequitur (ex. gr. Ai. 1047. El. 233, 1456. O. R. 1381. Tr. 137. Phil. 101), unde fit, ut in verbis *ἐννέπω σε - - ἐμμένειν* insit *ἐννέπω* **σοί** *σε - - ἐμμένειν*, qua re aperta structura fit. Quod Schneidewin in adn. h. l. dicit dativum pro accusativo poetam posuisse, ne participium cum præcedenti *ἐμέ* conjungeretur, verum hoc esse credo. Dubito tamen, num sciens prudensque poeta dativum posuerit, ac non sponte ille casus ex intimo animo ejus defluxerit. Nam perspicuitatem ipsa

---

[1]) Quod Dindorfio auctore complures editores v. 812 ejecerunt, magis temere quam considerate eos egisse censeo. Nam et sententia optima est — festinato maxime opus est. nam vita agitur — neque structura quidquam difficultatis habet.

natura vult. Certe si locutus esset sine meditatione poeta, non scripsisset, facillime fieri potuit, ut eodem modo sententia ederetur.

IX. De variis formis assimilationis realis.

α. Interdum pronomen ita ponitur, ut ad substantivum, cujus notio in antecedenti adjectivo inhæret, referendum sit. Exempla inveni hæc: Tr. 260 *πόλιν τὴν* **Εὐρυτείαν** · **τόνδε** *(Εὔρυτον)* - -. El. 961 ss. *πάρεστι δ' ἀλγεῖν* - - - **ἄλεκτρα** *γηράσκουσαν* **ἀνυμέναιά** *τε. καὶ* **τῶνδε** (i. e. *λέκτρων καὶ ὑμεναίων*) *μέντοι μηκέτ' ἐλπίσῃς ὅπως τεύξει ποτ'*. Cum hoc loco Wolff comparat Eur. Hec. 416 **ἄνυμφος, ἀνυμέναιος, ὧν** *μ' ἐχρῆν τυχεῖν*. El. 1171 ss. **θνητοῦ** *πέφυκας πατρός, Ἠλέκτρα, φρόνει* · **θνητὸς** *δ' Ὀρέστης* · *ὥστε μὴ λίαν στένε. πᾶσιν γὰρ ἡμῖν* **τοῦτ'** (i. e. *τὸ θανεῖν* s. *ὁ θάνατος*) *ὀφείλεται παθεῖν*. O. C. 730 s. *τῆς* **ἐμῆς** *ἐπεισόδου*, **ὃν** *μήτ' ὀκνεῖτε μήτ'* - - -. El. 296 *οὐ* **σὸν** *τόδ' ἐστὶ τοὔργον*, **ἥτις** - - -. Confer fragm. 376 **ἄμοχθος** *γὰρ οὐδείς* · *ὁ δ' ἥκιστ'* (intell. **τῶν μόχθων**) *ἔχων μακάρτατος*. Ziemer ex latina lingua affert '*servili* tumultu, *quos* - - -'.

β. Non multum abhorret structura, ubi post pronomen possessivum appositio in genitivo ponitur, cujus structuræ exempla sunt: O. C. 344 **τἀμὰ δυστήνου** *κακά*. Ai. 1015 s. *ὡς τὰ* **σὰ** *κράτη* **θανόντος** - - *νέμοιμι*. Jebb confert Eur. Hec. 430 **θανούσης** *ὄμμα συγκλείσει τὸ* **σόν**.

γ. Alia species internæ exæquationis est, si tertia persona pronominis pers. ex antecedenti infinitivo sumitur, cujus rei exempla inveni hæc: Ai. 1081 *ὅπου δ' ὑβρίζειν δρᾶν θ', ἃ* **βούλεται**, *παρῇ, ταύτην νόμιζε* - - -. O. R. 611 s. *φίλον γὰρ ἐσθλὸν ἐκβαλεῖν ἴσον λέγω καὶ τὸν παρ' αὑτῷ βίοτον, ὃν πλεῖστον* **φιλεῖ**. O. C. 1224 ss. *μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα νικᾷ λόγον* · *τὸ δ', ἐπεὶ* **φύῃ**, *βῆναι κεῖθεν ὅθεν περ* **ἥκει** *πολὺ δεύτερον ὡς τάχιστα*. Nos pronomine indefinito 'man' utimur.

δ. Constructio ad synesin est, ubi nomina terræ vel loci et habitantium inter se permutantur sicut Phil. 456 ss. **ὅπου** *δ' ὁ χείρων τἀγαθοῦ μεῖζον σθένει* - - -, **τούτους** *ἐγὼ* **τοὺς ἄνδρας** *οὐ στέρξω ποτέ*. Phil. 1363 s. **Τροίαν** - - -, **οἵ** *γέ*

σου καθύβρισαν. O. C. 61 ad **πάντες** intellige *δημόται* sumptum ex præcedenti **γύαι** = *δῆμος*. O. C. 942 **αὐτούς** indicat *τοὺς πολίτας,* quæ notio ex præcedenti nomine **πόλιν** sumitur. Eodem modo structura se habet Tr. 1011 s. *ἀνέρες,* **οὓς** *δὴ πολλὰ μὲν ἐν πόντῳ κατά τε δρία πάντα καθαίρων ὠλεκόμαν.* Wunder recte comparat v. 1060 **ὅσην** *ἐγὼ* **γαῖαν** *καθαίρων ἱκόμην,* "a quo loco non differt hic locus, quamvis *καθαίρων ἀνθρώπους* hic dictum sit, siquidem in nomine hominis significatio loci continetur." Et scholiasta circumscribit *οὓς ἐγὼ πῇ μὲν κατὰ θάλατταν πῇ δὲ ἐν γῇ ἔσωζον, πάντα τόπον καθαίρων - - - ἐγγὺς θανάτου ἐγενόμην.* Contra Ai. 1081 s., quod conferri solet, vix in hoc genere numerandum est.

Si quæ notio in animo exsistit. cognatæ notiones simul cum ea oriuntur. unde fieri potest. ut ex his una in sequenti parte sententiæ quasi tollatur et in vocum conjunctione dominetur. Velut si homo græcus dicebat *ἀπαυδῶ* (veto). vix fieri potuit. quin in illo verbo notio jubendi inhæreret, etiamsi ipse nesciret. Nonnunquam tamen sententiam jam inceptam ita persequebatur. quasi jubendi. non vetandi verbum antecederet. Num hæc sermonis inæqualitas ad realem assimilationem referri possit. jam valde dubito. sed ut alii de re judicarent. tamen quæ collegi exempla in medium proferre non inutile mihi visum est.

Exempla affirmativæ notionis ex negativo vocabulo sumptæ sunt hæc: O. R. 236 ss. *τὸν ἄνδρ' ἀπαυδῶ τοῦτον - - - - μήτ' εἰσδέχεσθαι μήτε προσφωνεῖν τινα - - - -, ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων πάντας,* ubi ex verbo *ἀπαυδῶ* verbum *κελεύω* intelligendum est. O. R. 817 ss. *ὃν μὴ - ἔξεστι - - - - δέχεσθαι - - -, ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων,* ubi *ὠθεῖν* pendet a notione. qualis est *δεῖ* vel *χρή*. Similiter O. C. 1402 ss. *τοιοῦτον οἷον οὐδὲ φωνῆσαί τινι ἔξεσθ' ἑταίρων - - -, ἀλλ' ὄντ' ἄναυδον τῇδε συγκύρσαι τύχῃ.* El. 466 s. *τὸ γὰρ δίκαιον οὐκ ἔχει λόγον δυοῖν ἐρίζειν, ἀλλ' ἐπισπεύδειν τὸ δρᾶν:* ad posterius membrum intelligendum est *δεῖ*. El. 648 ss. *καὶ μή με πλούτου τοῦ παρόντος εἴ τινες δόλοισι βουλεύουσιν ἐκβαλεῖν, ἐφῇς, ἀλλ' ὧδέ μ' ἀεὶ ζῶσαν ἀβλαβεῖ βίῳ δόμους Ἀτρειδῶν σκῆπτρά τ' ἀμφέπειν τάδε:* ex negativa notione *μὴ ἐφῇς* sumendum est *δός*. El. 71 s. *καὶ μή μ' ἄτιμον τῆσδ' ἀποστείλητε γῆς, ἀλλ' ἀρχέπλουτον καὶ καταστάτην δόμων:* Jebb ad posterius membrum intelligit *πέμψατε,* Kaibel meo quidem judicio rectius *δέξασθε,* de quo dicit: "vom Anfang des Gebets (IV versibus supra), natürlich nicht im grammatischen Verstande, sondern dem Sinne nach". Confer hæc exempla. ubi de pronomine agitur: Ant. 263 *οὐδεὶς ἐναργής, ἀλλ'* (intell. *ἕκαστος*) *ἔφευγε μὴ εἰδέναι.* Fragm. 328 v. 6 s. *οὐδεὶς δοκεῖ εἶναι πένης ὢν ἄνοσος, ἀλλ' (ἕκαστος πένης ὢν) ἀεὶ νοσεῖν.*

Ab his exemplis non multum abest ea structura. quæ græco nomine zeugma vocatur. si ex pluribus subjectis vel objectis conjunctis

unum alterumve cum verbo non consentit. sed aliam quamvis cognatam notionem requirit, ex. gr. Ant. 952 ss. *οὔτ' ἄν νιν ὄλβος* (Erfurdt pro codicum scriptura *ὄμβρος*) *οὔτ' Ἄρης, οὐ πύργος, οὐχ ἁλίκτυποι κελαιναὶ νᾶες ἐκφύγοιεν,* ubi certe nomen *πύργος* potius *ἀπείργοι* requirit. Fragm. 123 *ἵπποισιν ἢ κύμβαισι ναυστολεῖς χθόνα:* ad substantivum *ἵπποισιν* perequitandi notio subest. Tr. 512 *τόξα* (intell. *νωμῶν*) *καὶ λόγχας ῥόπαλόν τε τινάσσων.* Tr. 560 s. *μισθοῦ 'πόρευε χερσίν, οὔτε πομπίμοις κώπαις ἐρέσσων οὔτε λαίφεσιν νεώς* (intell. *πέμπων*). Ai. 631 s. *χειρόπληκτοι δ' ἐν στέρνοισι πεσοῦνται δοῦποι καὶ πολιᾶς ἄμυγμα χαίτας* (intell. *ἔσται*). Confer O. C. 404 s. *τούτου χάριν τοίνυν σε προσθέσθαι πέλας χώρας θέλουσι, μηδ'* (intell. *ἐᾶσαι*) *ἵν' ἂν σαυτοῦ κρατοῖς.*

Cap. III.

De assimilatione compromissali.

Compromissalis [1]) assimilatio (Ziemer 'Kombinationsausgleichung') vel exæquatio in eo constat, ut, si quis quid dicturus est, duæ simul loquendi formæ, quæ aliquo modo inter se associantur, in animo ejus emergant et quasi conflentur, ita ut utriusque pars in eo, quod vere dicitur, proveniat. Sicut ex

ἔξαρνός εἰμι τούτων,
ἐξαρνέομαι ταῦτα

efficitur *ἔξαρνός εἰμι ταῦτα.* Ut accuratius dicam, cum quis in eo est, ut dicat ex. gr. *ἔξαρνός εἰμι τούτων,* altera illa locutio *ἐξαρνέομαι ταῦτα,* quippe quæ idem valeat formæque similitudinem habeat, associationis necessitate simul excitatur, quæ locutio ipsa per se animum intuentem impellit, ut ad sui similitudinem orationem conformet. Hujusmodi structuræ analogicæ formationes plerumque appellantur. — Quæ jam in principio de difficultate omnia complectendi dixi, ad hoc potissimum genus pertinent. Etenim si qua fieri posset, ut inde ab origine mutationes et incrementa linguæ persequeremur, plerasque credo syntacticas juncturas, quamvis legitimæ viderentur, hac via exstitisse appareret. Neque tamen mihi majus quidquam proposui, quam ut, quæ apud Sophoclem propter novitatem aut difficultatem structuræ in oculos incurrerent, hac si possem ratione

[1]) Multa mecum meditatus denique compromissi nomen de tertio genere assimilationis usurpare statui, ut quod illi germanicæ voci "Kombinations-Ausgleichung" optime responderet. In compromisso enim duarum locutionum inest, ut quasi paciscantur inter se, ut utraque aliquid de suo amittat, aliquid de alieno acquirat, quod hujus generis assimilationis maxime proprium est. E compromisso commoditatis causa adjectivum compromissalis novavi.

expedire conarer. Ordinem, quo in syntacticis artibus vulgo utuntur, utilissimum mihi visum est retinere, non quod ex ipsis rebus alia divisionis ratio elici non posset, sed ut ad inveniendum omnia faciliora essent.

X. De assimilatione comprom. in accusativo.

a. In græca lingua non minus quam in aliis assonantiæ et consonantiæ studium erat. Unde defluxerunt qualia sunt **κείρων** *πολύ***κερων** *φόνον, πάλιν πάλιν παλαιὸν ἄλγημα, ἐν ξένῳ ξένον, πέτρᾳ πέτρας, ξυμπεσὼν μόνος μόνοις, κακὸν κακῶς ἐκτρῖψαι βίον, πόνος πόνῳ πόνον φέρει,* quæ exempla pauca modo sunt ex iis, quæ apud Sophoclem inveniuntur. Cum his locutionibus cognata et ex eadem animis hominum innata paronomasiæ delectatione orta videtur esse figura etymologica, quæ vocatur, quam scimus in eo constare, ut verbum cum accusativo nominis ejusdem stirpis jungatur (Cfr Ziemer pag. 157 sum.). Præterea hæc structura in plerisque vel fortasse omnibus indoeuropæis linguis invenitur, unde jam antiquissimis temporibus adhiberi coepta esse videtur (Delbrück Synt. Forsch. IV pag. 31). Sed utcumque hæ res se habent, id tamen certum est in græca lingua illam structuram analogiæ via in omnem partem valde percrebruisse, neque id solum prisca illa Homerica ætate, sed non minus posterioribus temporibus, ubi attici scriptores in literis plurimum valebant. Et ut frequentissimus usus ejus apud Sophoclem est (Campb. Ess. on the Lang. pag. 24), ita utilissimum mihi videtur quam plurima possim exempla ex illius fabulis in medium proferre, quo facilius intelligatur, qua ratione fieri potuerit, ut tantopere usus dilataretur.

1. Accusativus *stirpe* cognatus. Pauca modo exempla afferam. Phil. 59 **ἔχθος** *ἐχθήρας μέγα.* Ant. 1045 s. *πίπτουσι - -* **πτώματ'** *αἰσχρά.* El. 210 *ποίνιμα* **παθέα** *παθεῖν πόροι.* Ai. 317 *ἐξῴμωξεν* **οἰμωγὰς** *λυγράς.* Phil. 276 s. *ποίαν μ'* **ἀνάστασιν** *δοκεῖς - - - στῆναι;* Ut ex his exemplis vidimus et sine iis scimus, accusativus plerumque attributo aliquo instructus erat, ut certa aliqua species ejus actionis aut status, quem verbum significaret, ab aliis formis discerneretur (cfr gram.). Quæ res quomodo multa et nova creaverit, infra videbimus.

2. Accusativus *significatione* cognatus. Ad hoc genus, si recentius est, quod pro certo affirmare non ausim, simplicissimo compromisso transitus fit. Sicut ex *πόλεμον πολεμεῖν, στρατείαν στρατεύειν,* si inter se associantur, facillime oritur **πόλεμον στρατεύειν** (Thuc.). Et si antiquissimis temporibus ortum est, vix tamen dubitari potest, quin et in hac classe et in ceteris singulis usus analogiæ vi paulatim serpserit, quamobrem meum est de his rebus agere. Præterea in hoc genere potest fieri, ut notio accusativi prope æque late atque notio verbi pateat, sicut in exemplo, quod jam attuli. Aut illa angustioribus finibus quam hæc circumscripta est, ut Tr. 159 **ἀγῶνας ἐξιών**. Sed separatas species ponere et difficile propter incertos et lubricos fines est neque sane multum prodest. Potius vim verborum in exemplis proferendis spectabo, ita ut ea, quæ idem fere significent, inter se conjungam.

Verba eundi et movendi. Phil. 1416 **ὁδὸν ἣν στέλλει** (med.). Phil. 911 *τὸν* **πλοῦν στελεῖν** (intr.). Ai. 1045 *τόνδε* **πλοῦν ἐστειλάμην.** Phil. 1037 **στόλον** *τόνδε* **πλεῦσαι.** Tr. 562 *τὸν πατρῷον* **στόλον** *ξὺν Ἡρακλεῖ* **ἐσπόμην.** — Ai. 42 *τήνδ'* **ἐπεμπίπτει βάσιν.** Tr. 339 *τοῦ με τήνδ'* **ἐφίστασαι βάσιν** (Sic Schneid.-Nauck. Jebb ceterique aliter locum explicant). — Ai. 287 **ἐξόδους** *ἕρπειν κενάς.* Tr. 159 **ἀγῶνας ἐξιών.** Tr. 506 **ἐξῆλθον ἄεθλ' ἀγώνων.** Cfr. Thuc. I 15, 2 *ἐκδήμους στρατείας - - ἐξῆεσαν.* — Tr. 155 **ὁδὸν** - *τὴν τελευταίαν* - **ὡρμᾶτο**. Ai. 289 s. *τί τήνδ'* **ἀφορμᾷς** (intr.) **πεῖραν.** O. C. 1400 s. *οἷον ὁδοῦ* **τέλος ἀφωρμήθημεν.** — O. R. 192 *παλίσσυτον* **δράμημα νωτίσαι.** Fortasse etiam Ai. 34 **καιρὸν ἐφήκεις** pro *καιρίαν ἄφιξιν ἐφήκεις.* Similiter Ai. 1316 **καιρὸν ἐληλυθώς.** — Eodem modo credo aliquos locos, ubi nuptiis jungendi notio insit, explanandos esse. Tr. 1227 *τοῦτο* **κήδευσον λέχος;** nam *κηδεῦσαι* in matrimonium ducere significat (ut Eur. Hipp. 634) et vocabula, quæ lecti notionem continent, sæpe pro connubio usurpantur. Ai. 491 *τὸ σὸν* **λέχος ξυνῆλθον.** Lobeck ad h. v. comparat Thuc. I 3 *ταύτην τὴν στρατείαν ξυνῆλθον.* Item credo Tr. 27 s. **λέχος** *Ἡρακλεῖ κριτὸν* **ξυστᾶσα** (delecto vel exquisito connubio cum Hercule juncta). Cfr. Eur. Herc. Fur. 67 s. *κἄμ' ἔδωκε παιδὶ σῷ,* **ἐπίσημον εὐνήν,** *Ἡρακλεῖ ξυνοικίσας,* ad quæ Wilamowitz dicit: "*ἐπίσημον εὐνήν* ist

nicht apposition zu ἐμέ, sondern zu dem verbalbegriff.“ Potius tamen ἐπίσημον εὐνήν, quod Danielsson benigne mecum communicavit, videtur internum obj. esse participii ξυνοικίσας, ad quod etiam με intelligendum est, latine: me dedit tuo filio (me cum eo) præclaro connubio jungens. Ita illud λέχος ξυστῆναί τινι passivum est activi λέχος s. εὐνὴν ξυνοικίσαι τινά τινι. Cfr etiam Il. XV 32 φιλότης τε καὶ εὐνή, ἣν ἐμίγης. Contra Ai. 493, ubi Lobeck cum nonnullis codicibus legit εὐνῆς τε τῆς σῆς **ἧς συνηλλάχθης** ἐμοί, cum plerisque editoribus ᾗ præfero, ut quod ad cod. La. scripturam **εἰ** propius accedat. O. R. 422 s. **τὸν ὑμέναιον, ὃν** δόμοις ἄνορμον **εἰσέπλευσας,** si quidem ὁ ὑμέναιος i. e. nuptiæ εἴσπλους est, quo Oedipus in regiam domum navigavit (Cfr Nauckii et Wolffii adnotationes). Hos locos (de connubiis ineundis) editores alii aliter explanare conantur.

Verba interficiendi et moriendi. Ai. 55 **κείρειν** πολύκερων **φόνον.** Comparandum est Ai. 546 **νεοσφαγῆ φόνον,** quod ad σφάζειν φόνον spectat; itemque Ant. 36 **φόνον δημόλευστον,** Ai. 253 s. **λιθόλευστον Ἄρη** (Cfr O. C. 435 λευσθῆναι πέτροις), Tr. 357 ὁ **ῥιπτὸς** Ἰφίτου **μόρος.** — Ai. 1058 s. τήνδ' ἣν εἴληχεν **τύχην θανόντες,** ubi nulla mutatione opus est. Cfr Lobeckii et Jebbii adnotationes ad h. l. — O. C. 1720 s. **ἔλυσεν** τὸ **τέλος** τοῦ βίου pro ἔλυσεν τὴν λύσιν vel ἐτέλεσε τὸ τέλος τοῦ βίου. Cfr Tr. 79 **τελευτὴν** τοῦ βίου **τελεῖν,** O. R. 880 τὸ πάλαισμα μήποτε **λῦσαι** (finire), Eur. Iph. T. 692 λύσειν βίον, Tr. 1171 μόχθων **λύσιν τελεῖσθαι.**

Verba imperandi. Phil. 140 **σκῆπτρον ἀνάσσεται,** ubi σκῆπτρον imperii notionem circumscribit. O. C. 448 s. **θρόνους** καὶ **σκῆπτρα κραίνειν.** Item fortasse O. C. 1380 τὸ σὸν **θάκημα** καὶ τοὺς σοὺς **θρόνους κρατῶ,** si τὸ σὸν θάκημα cet. per hendiadyn dicta sunt pro sessione in solio i. e. imperio. Sed verbum κρατεῖν, cum potiri significat, etiam alia nomina in accusativo regere apparet collato exemplo quod Jebb affert, Aesch. Suppl. 254 πᾶσαν αἶαν - - - - κρατῶ. (Quod Pape in lexico Xen. An. V 6, 7 cum his exemplis conjungit, non verum est. Nam ἅ (κέρατα) ex participio κατέχοντες pendet).

Verba loquendi, querendi sim. Ai. 770 τοσόνδ' **ἐκόμπει μῦθον.** Ai. 1096 τοιαῦθ' **ἁμαρτάνουσιν ἔπη.** Ai. 1107 s. τὰ σέμν' **ἔπη κόλαζ'** ἐκείνους. O. R. 340 **ἔπη** ἃ νῦν σὺ τήνδ'

ἀτιμάζεις πόλιν. — Ai. 579 s. μηδ' ἐπισκήνους **γόους δάκρυε**. Tr. 50 s. πανδάκρυτ' **ὀδύρματα** τὴν - ἔξοδον **γοωμένην**. Ai. 630 ὀξυτόνους **ᾠδὰς θρηνήσει**. Tr. 866 s. **ἠχεῖ** τις οὐκ ἄσημον ἀλλὰ δυστυχῇ **κωκυτὸν** εἴσω. Similiter O. R. 183 s. **ἀχὰν** παραβώμιον - - **ἐπιστενάχουσι**, si Nauckii conjectura probanda est. Nam cod. La ἀκτὰν παραβώμιον præbet. Dind., Wolff, Campb., Jebb scribunt ἀκτὰν παρὰ βώμιον, quod nescio an rectius sit (cfr Campbelli adnotationem h. l.).

Alia verba varia. O. C. 344 τἀμὰ δυστήνου **κακὰ ὑπερπονεῖτον**. O. C. 544 δευτέραν **ἔπαισας** ἐπὶ νόσῳ **νόσον**, nisi potius cum Nauckio et Campbellio post ἔπαισας commate interpungendum est. — Ai. 760 ἀνθρώπου **φύσιν βλαστὼν** pro φύσιν φύς aut βλάστην βλαστών, a quo loco haud multum differt Tr. 1062 θῆλυς **οὖσα** κοὐκ **ἀνδρὸς φύσιν**. Nam φῦναι eodem fere sensu atque εἶναι sæpe usurpatur (ex. gr. Ant. 61 s. γυναῖκε - ἔφυμεν, v. 79 ἔφυν ἀμήχανος. Cfr Curtius Erläuterungen pag. 162 s.[1]), Delbrück Vergl. Synt. pag. 370 s.). Et si cui nihilominus locutio οὖσα φύσιν displicet, considerare debet οὖσα in priore membro esse, quo fieri potuit, ut φῦσα associatione ortum in membro posteriore animo poetæ obversaretur.

3. Accusativus *neutrum*, rarius femininum, *adjectivi* aut *pronominis* est.

In exemplis, quæ attuli, internum objectum ex substantivo cum adjectivo (aut pronomine, quod infra intelligo) juncto constabat. Sed, ut scimus, sæpe fiebat, ut adjectivum solum poneretur et substantivi notio ex verbo sumeretur. Duobus modis hoc fiebat. Aut in feminino genere adjectivum ponebatur, ita ut certum substantivum feminini generis intelligendum esset, aut in neutro singul. aut plur. Tum magis infinita substantiva notio animo loquentis hominis obversabatur. Prioris generis est El. 1415 **παῖσον διπλῆν**, intell. πληγήν. Item Ant. 1308 s. τίς μ' οὐκ **ἀνταίαν ἔπαισέν** τις. De O. C. 544 jam dixi. — Similiter O. R. 810 οὐ μὴν **ἴσην** γ' **ἔτεισεν**, intell. τίσιν. Substantivum *masc.* gen. e verbo quasi audiendum est El. 1075 **τὸν** ἀεὶ πατρὸς (intell. στεναγμόν) **στενάχουσα**, de quo loco optima adnotatio Kaibelii est. Cfr Wilamow. Her. Fur. ad v.

[1]) G. Curtius, Erläuterungen zu meiner Griech. Schulgrammatik. Prag 1863.

681 et Delbrück S. F. IV pag. 36 b. Sed altera forma propter frequentem usum longe majoris momenti est. Ut jam dixi, singulari aut plurali numero utebantur. Qui factum sit, ut discrimen, quod ab initio certe inter numeros erat, post pæne exstingueretur, Delbrück optime exponit (S. F. IV pag. 34). Jam exempla nonnulla afferam: Ant. 743 *οὐ* **δίκαια ἐξαμαρτάνουσα,** v. 74 **ὅσια πανουργήσασα.** El. 331 **κενὰ χαρίζεσθαι.** Fragm. 616 **δίκαια τέρψεται.** — O. R. 1300 s. *τίς ὁ* **πηδήσας μείζονα** *τῶν μακίστων.* — Ai. 1011 **μηδὲν ἴλεων γελᾶν.** O. C. 319 s. **φαιδρὰ** *γοῦν ἀπ' ὀμμάτων* **σαίνει** *με.* — O. C. 1696 **κατάμεμπτ' ἐβήτην.** O. R. 884 **ὑπέροπτα πορεύεται.** — El. 962 **ἄλεκτρα γηράσκουσαν ἀνυμέναιά** *τε.* — Tr. 846 **ὀλοὰ στένει.** — O. R. 258 s. **τάδε ὑπερμαχοῦμαι.** Simil. Ai. 1346 *σὺ* **ταῦτ',** *Ὀδυσσεῦ, τοῦδ'* **ὑπερμαχεῖς** *ἐμοί.* Ant. 550 *τί* **ταῦτ' ἀνιᾷς** *με.* O. R. 1327 s. **τοιαῦτα** *σὰς ὄψεις* **μαρᾶναι.** El. 613 **τοιαῦτα** *τὴν τεκοῦσαν* **ὕβρισεν.** Phil. 1242 *τίς ἔσται μ'* **οὐπικωλύσων τάδε.** Eodem modo explanatur El. 219 s. *τίκτουσ' ἀεὶ - πολέμους·* **τὰ δὲ** *τοῖς δυνατοῖς οὐκ ἐριστὰ πλάθειν,* ubi *τὰ δέ* antecedens *πολέμους* magis in universum excipit. Tournier circumscribit: *αὗται δὲ αἱ ἔριδες τοῖς δυνατοῖς οὐκ ἐρισταί εἰσιν ὥστε πελάζειν αὐτοῖς.* Quod Nauck Froelichio auctore mutat, incertissimum est neque necessarium puto. Kaibelii expositionem hujus loci supra attuli. — Hoc modo neutrum adjectivi aut pronominis post verba ponitur, ubi nos objectum in alio casu positum velimus, sicut post verba regnandi: O. R. 904 **πάντ' ἀνάσσων.** Phil. 99 *τὴν γλῶτταν* **πάνθ' ἡγουμένην.** O. C. 839 *μὴ ἐπίτασσ'* **ἃ** *μὴ* **κρατεῖς.** O. R. 1522 s. **πάντα** *μὴ βούλου* **κρατεῖν.** Tr. 127 *ὁ* **πάντα κραίνων** *βασιλεύς*: omnia gubernans, quamquam fortasse rectius vertitur: omnia perficiens. Cfr tamen O. C. 448 s., quod supra attuli. — Similis structura post verba, quæ genitivum part. regunt, invenitur. O. C. 1106 *αἰτεῖς* **ἃ τεύξῃ.** Ant. 546 *μηδ'* **ἃ** *μὴ* **'θιγες** *ποιοῦ σεαυτῆς.* Quod Campbell (Ess. on the Lang. pag. 59, 35 a) ad hoc exemplum dicit *ἅ* pro *ταῦθ' ὧν* assimilatione (i. e. formali) positum esse, parum credibile est. Nam ne de aliis causis dicam, alia exempla sunt, ubi ejusmodi explicatione uti non liceat: O. C. 1168 *σοῦ* **τοῦτο τυχεῖν.** Fragm. 824 *δακρυρροεῖ γοῦν* **καὶ τὰ** *καὶ* **τὰ τυγχάνων.** Cfr Phil. 231

ἁμαρτεῖν τοῦτο. Similiter O. R. 621 *τἀμὰ δ'* **ἡμαρτημένα** *(ἔσται).* — Phil. 667 *παρέσται* **ταῦτά** *σοι -* **θιγγάνειν,** quamquam verisimilius videtur, ut *ταῦτα* prolepsi subjectum verbi *ἔσται* sit. — Similiter post *ἱμείρειν* O. R. 58 ss. **γνωτὰ κοὐκ ἄγνωτα ἱμείροντες** [1]). — Idem accusativus iis locis sæpe usurpatur, ubi nos causam allatam velimus (Cfr Kühn. II 410 Anm. 6). Exempla sunt: O. C. 1274 **ἃ μηνίεις.** Phil. 906 **τοῦτ' ἀνιῶμαι.** Jam in his exemplis verisimile est Græcos accusativum neutr. gen. adverbialiter accepisse, quamquam nostrum, ubi terminus ponendus sit, vix est dijudicare. Certior res est in exemplis, qualia sunt: O. C. 332 *τέκνον,* **τί** *δ'* **ἦλθες.** O. C. 1291 **ἃ ἦλθον.** O. R. 1005 **τοῦτ' ἀφικόμην.** Ai. 911 *ὁ* **πάντα κωφός,** *ὁ* **πάντ' ἄιδρις.** O. R. 1197 *τοῦ* **πάντ' εὐδαίμονος** *ὄλβου.* Ant. 546 *μή μοι* **θάνῃς** *σὺ* **κοινά.** — Sed jam interrumpam, nam innumerabilia adverbia quæ hoc modo orta sunt — reputa comparativum et superlativum adverbiorum — singillatim persequi hujus loci non est (Cfr Krüg. A. S. 46, 5 Anm. 4—10; Kühn. II 410 Anm. 5—7; Brugm. Gr.[2] 179; sed in primis Delbr. S. F. IV pag. 34 ss.).

4. Sed nondum ad finem hujus accusativi venimus. Sæpe enim fit, ut in accusativo ponatur substantivum, quod non ipsius verbi vim significet sed ad quod notio verbi aliquo modo referatur (Krüg. Gr. 46, 6). Plerumque hic accusativus ita accipi potest, ut appositionem substantivæ notionis, quæ ex verbo sumatur, eum esse putemus, qua re cum priore genere cohæret (Cfr Kühn. II 410 c). Solita exempla sunt *νικᾶν μάχην, στάδιον ἀγωνίζεσθαι.* Apud Sophoclem exempla sunt: O. C. 1204 *βαρεῖαν* **ἡδονὴν νικᾶτέ** *με* pro *νικᾶτέ με νίκην ὑμῖν ἡδεῖαν, ἐμοὶ δὲ βαρεῖαν.* Ant. 1272 s. *ἐν δ' ἐμῷ κάρᾳ θεὸς τότ' ἄρα τότε* **μέγα βάρος** *μ' ἔχων* **ἔπαισεν,** ubi Wolff dicit *βάρος* esse pro *βαρεῖαν πληγήν.* Quoniam pleraque exempla a principali hujus accusativi natura satis longe abesse videntur, de iis paulo accuratius agam.

Post verba *sedendi* ipsum *sedile* in poetico sermone, utique apud tragicos, in accusativo poni notum est. Ejusmodi accusativus vix dici potest internum objectum exprimere, sed verba

---

[1]) De verbo *τυγχάνειν* sim. cfr tamen quæ infra inc. *β* dico.

in transitiva mutata sunt. Verisimile tamen videtur hanc structuram a priore illo genere ortam esse, ita ut credam primo homines dixisse ex. gr. ἕδραν ἕζεσθαι, θᾶκον θάσσειν aut permutatione ἕδραν θάσσειν, θᾶκον ἕζεσθαι hoc sensu: sessionem sedere. Et vero hujusmodi locutiones apud Sophoclem sunt: O. R. 2 τίνας ποθ' **ἕδρας** τάσδε μοι **θοάζετε** [1]. O. C. 1166 τήνδ' ὁ **προσθακῶν ἕδραν**. Utrobique enim de genere sive ratione sedendi dicitur. Sed vocabulis ἕδρα et θᾶκος etiam concreto sensu de ipso *sedili* utebantur, unde facile fiebat — præsertim cum hic ut alibi finis sæpe incertus esset; confer exempla, quæ attuli — ut illa structura ad hoc genus significationis transferretur, ita ut ἕδραν ἕζεσθαι significaret in sede sedere. Et si eo res processisset, analogia alias structuras, quæ longius abessent, facile creavit, quales sunt: Ai. 248 ζυγὸν ἕζεσθαι: in jugo sedere. O. R. 161 κυκλόεντ' ἀγορᾶς **θρόνον θάσσει** (Cfr Kühn. II 409, Anm. 9; Krüg. Poet. S. 46, 6, 2). — Eodem modo verbum κεῖσθαι construitur Phil 145 **τόπον ὅντινα κεῖται** (Φιλοκτήτης). Cfr Thuc. I 37 ἡ πόλις αὐτάρκη **θέσιν κειμένη**. Alia exempla habes Jebb Phil. 145 adn. — Eadem structura post verba ἰέναι, πορεύεσθαι, τρέχειν sim. invenitur, ita ut accusativus non solum de *itinere*, sed etiam de *via* et *loco* s. terra usurpetur. Etiam in his verbis similem progressum facile est exhibere, sed satis est exempla afferre. El. 1274 φιλτάταν **ὁδὸν φανῆναι** (= ἐλθεῖν). Ai. 877 s. τὴν ἀφ' ἡλίου βολῶν **κέλευθον φανείς**. Ai. 30 **πηδῶντα πεδία**. Ai. 845 τὸν αἰπὺν **οὐρανὸν διφρηλατῶν**. O. C. 1685 s. ἤ τιν' ἀπίαν **γᾶν** ἢ πόντιον **κλυδῶνα ἀλώμενοι**. (Cfr Kühn. II 409, 7; Krüg. 46, 6, 3; Delbrück Vergl. Synt. pag. 375) [2]. — Comparantes πόδα βαίνειν, quod apud Euripidem invenitur, nonnulli defendere studuerunt O. C. 1084 **θεωρήσασα** τοὐμὸν **ὄμμα** velut ad speculandum oculum ducens, sed totus locus vix sanus videtur esse. Et quæ Campbell comparat exempla, Tr. 914 et Phil. 151, alio modo facile explanantur.

5. Alia verba cum tali vocabulo in accusativo junguntur,

---

[1]) De significatione verbi θοάζειν Jebb in append. dicit.

[2]) Ita, ut dixi, credo illos accusativos ortos esse. Sed quo modo posterioribus temporibus in ejusmodi exemplis Græci accusativum ipsi senserint, alia quæstio est, de qua vide Delbrück S. F. IV pag. 30 im.

ut interpretari possimus, actione, quam verbum significat, facere, efficere, fungi cet. Hoc modo verba, sive intransitiva sunt, transitiva fiunt, sive jam transitiva sunt, aliam transitivam vim recipiunt. Quid sentiam, exemplis illustrabo. Legimus Tr. 620 *Ἑρμοῦ* **τήνδε πομπεύω τέχνην.** Si pro *τέχνην* poeta *πομπήν* posuisset, prorsus legitima locutio esset. Ut est, videtur significare: *πομπὸς ὢν τήνδε τὴν τέχνην φυλάσσω*, sicut Ellendt in lexico circumscribit. Neque tamen structura mira est. Nam *πομπή* species est generis *τέχνης*. Si autem paulo longius res progressa esset, ut in accusativo ponerent munus aliquod, quod dux curare solebat, denique *πρᾶγμά τι*, tum vere transitivum verbum *πομπεύειν* factum esset. Quod re vera fit in verbo *πρεσβεύειν* ex. gr. Andoc. III 23 *πρεσβεύω τὴν εἰρήνην*. — Verbum **ἀριστεύειν** duos gradus apud Sophoclem exhibet. Nam Ant. 195 **πάντ' ἀριστεύσας** *δόρει* videtur idem valere atque *πᾶσαν ἀριστείαν ἀριστεύσας* i. e. summam fortitudinem præbens. Contra Tr. 488 *τἄλλ' ἐκεῖνος πάντ' ἀριστεύων χεροῖν* nihil significare potest nisi ille, qui omnia vincit, post enim sequitur: amore Iolæ victus est. Rursus Ai. 435 *τὰ πρῶτα καλλιστεῖ' ἀριστεύσας στρατοῦ* necesse est cum scholiasta interpretari *διὰ τὸ ἀριστεῦσαι λαβών*. Item v. 1300 *τὰ πρῶτ' ἀριστεύσας*. Comparandum est Phil. 149 *τὸ παρὸν* **θεραπεύειν,** ubi Tournier intelligit *θεράπευμα*[1]). Vulgo hoc verbum transitive adhibetur significans *curare*. Eodem modo opinor structuram explanandam esse Ai. 1226 s. *τὰ δεινὰ* **ῥήματα χανεῖν.** Item meo quidem judicio Ai. 439 *οὐδ'* **ἔργα** *μείω χειρὸς* **ἀρκέσας** *ἐμῆς*. Nam dicere poterant *ἄρκεσιν ἀρκεῖν*. — Et apud Sophoclem et apud ceteros scriptores credo talem structuræ et significationis progressum sæpe inveniri posse. Commemorabo tantum Thuc. V 16, 1 *διὰ τὴν Πλειστοάνακτος κάθοδον* **παρανομηθεῖσαν.**

Quomodo transitivum verbum alteram transitivam vim accipiat, præclarum exemplum præbet **ῥηγνύναι.** Ant. 675 **τροπὰς καταρρήγνυσι** significat fugam rumpendo (ordines) efficere. Et facile hæc structura intelligitur, si quidem *τροπή* ruptio quædam aciei hostium est. Tum *ῥηγνύναι* **νᾶμα** significaret fontem rumpendo (terram) efficere. Sed longius res tum processit, quoniam *νᾶμα*

[1]) Cfr Cavallini adn.

cum notione verbi nequaquam cognatum est. Et translato sensu hæc locutio invenitur, quod tamen declarat etiam proprio eam fuisse, certe in ejus animo, qui primus sic dixit. Legitur enim Tr. 919 *δακρύων* **ῥήξασα** *θερμὰ* **νάματα**. Cfr Tr. 852 **ἔρρωγε παγὰ** *δακρύων;* Phil. 824 **παρέρρωγεν φλέψ;** Ai. 775 **μάχη ἐκρήξει;** Fragm. 520 **βροντὴ ἐρράγη**. Postremo in formis intransitive usurpatis ex principali notione nihil remanere videtur nisi celeriter oriri sicut O. R. 1280 *τάδ' ἐκ δυοῖν* **ἔρρωγεν κακά**. Cfr O. R. 1075 s. Ceteras locutiones, quas hoc modo explicandas esse puto, breviter percurram. In hoc genere sunt verba *humectandi,* si fundere significant, sicut Ai. 376 **αἷμ' ἔδευσα**. O. R. 1278 *μέλας* **ὄμβρος ἐτέγγετο**. Similiter Tr. 848 **τέγγει** *δακρύων* **ἄχναν**. — Deinde Ant. 794 **νεῖκος ταράξας**. Cfr in latino sermone: quantas res turbo, quod apud Plautum idem est atque quantas turbas efficio. — Ant. 972 **τυφλωθὲν ἕλκος,** quamquam hic locus multis difficultatibus laborat, quamobrem hoc exemplum incertum est. El. 170 *τί γὰρ οὐκ ἐμοὶ ἔρχεται ἀγγελίας ἀπατώμενον* : **ἀγγελίαν ἀπατᾶν** = nuntium fallacem s. fallaciter mittere. — El. 708 *δέκατον* **ὄχον ἐκπληρῶν** : ad numerum explendum addere (velut 'fylla i'). — Phil. 128 s. *ναυκλήρου τρόποις* **μορφὴν δολώσας**. Cfr lat. falle faciem. — O. R. 523 **τοὔνειδος** *ὀργῇ* **βιασθέν** : convicium ira coactum i. e. excitatum s. elicitum.

Sed hæc hactenus. De uno modo exemplo accuratius agam. Est enim Ant. 1011 **καλυπτῆς πιμελῆς,** quod verbi constructionem requirit *καλύπτειν τινί τι*. Solita tamen structura est *καλύπτειν τινά τινι*. Sed si hæc principalis fuit, facillime dici potuit *καλύπτειν κάλυμμα,* et si *κάλυμμα* specie qualibet *καλύμματος* commutabatur, orta sunt ex. gr. *γῆν καλύπτειν, πιμελὴν καλύπτειν*. Jam ut primum *res* in accusativo posita est, dativus personæ ultra exstitit ad similitudinem verborum, quæ dativum personæ et accusativum rei regunt. Et sic dicitur apud Homerum Il. XXI 321 **ἄσιν** *καθύπερθεν* **τινι** *καλύπτειν*. Cfr apud Homerum *κρύπτειν τινί τι* (Od. IV 350) et apud Sophoclem *μοὶ τάδε τιμᾶτε* (Ai. 687), *χοὰς τῷδε ἐπίστεφε* (El. 440 s.) — Rursus si ambo accusativi et personæ et rei simul positi essent, tum structura fieret *καλύπτειν τινά τι,* quæ solita structura est verbi *κρύπτειν,* quod vi cognatum est. — Jam quod mihi pro-

posui assecutus sum. Illo enim modo credo duplicis accusativi structuram explanandam esse non modo post *κρύπτειν* sed post pleraque verba, quæ duos accusativos regunt, dico *αἰτεῖν, ἐρωτᾶν, ἀναμιμνήσκειν, ἀμφιεννύναι, ἐκδύειν, στερίσκειν, κατανέμειν* cet. Neque tamen sequitur omnia hujusmodi verba per illos gradus processisse, ita ut primum cum accusativo personæ jungerentur cet. Sed si unum vel alterum verbum illo modo constructum acceperant, facillime fieri potuit, ut alia verba, quoquo modo a principio cum casibus jungebantur, analogiæ vi in eandem structuram delaberentur. Verum in singula inquirere hoc loco meum non est. Exempla modo afferam, quibus etiam Sophoclis ætate illam analogiam vim habuisse appareat. Unus locus est O. C. 1508 s. *καί σ' ἅπερ ξυνήνεσα θέλω πόλιν τε τήνδε μὴ* **ψεύσας** *θανεῖν*, si ex relativo *ἅπερ ταῦτα* intelligendum est, quod Tournier dicit et simplicissimum videtur. Confertur v. 1512 *ψεύδοντες οὐδὲν σῆμα τῶν προκειμένων*. Cfr etiam v. 1145. Similiter se habet El. 995 *θράσος* **ὁπλίζῃ**. Eadem ratio est O. C. 866 *μὲ ψιλὸν ὄμμα* **ἀποσπάσας**. Hic propria structura esset *μοὶ ψιλὸν ὄμμα ἀποσπάσας*, sed assimilatione ad verba *στερίσκειν* sim. personæ significatio in accusativo posita est. Eodem modo accusativus personæ exstitit Tr. 1221 *τοσοῦτόν σ'* **ἐπισκήπτω** (Cfr Eur. I. T. 701) et Ai. 831 *τοσαῦτά σε* **προστρέπω**. Cum hoc loco comparant O. C. 50 *μή μ' ἀτιμάσῃς ὧν σε προστρέπω φράσαι*.

Si verum quærimus, verbum regens ad personæ accusativum una significatione, ad rei accusativum alia refertur. Cfr Brugm. Gr.[2] 180 et quæ jam dixi cap. I, II *η d*. Contra, quod Kühner dicit (Gr. II 411, 6 f.) verbum cum rei significatione in unam notionem coaluisse, a qua personæ accusativus penderet, hoc ad illa verba non magis pertinet quam si nos dicimus 'fråga honom det'. At verum eum vidisse existimo in iis structuris, quas § 411, 4 & 5 tractat, de quibus infra dicam.

β. Jam unam vidimus rationem, qua intransitiva verba transitivam vim reciperent. Idem evenire, si significatio verbi ad alius verbi notionem accedat, quod accusativum objecti jam regat, notum est. Inde accusativus ortus est post **χορεύειν** (Ant. 1151. O. R. 1092. Jebb comparat *κόπτομαι, τίλλομαι, τύπτομαι* cum accusativo ejus, qui lugetur), **ἄραρεν** (El. 147. Cfr *μὲ ἀρέσκει*

Ai. 584). Similiter credo O. R. 475 τὸν ἄνδρα **ἰχνεύειν;** Ai. 164 **θορυβεῖ** = maledictis peteris; Phil. 465 πλοῦν ἡμὶν **εἴκῃ** (= διδῷ, συγχωρῇ Schneid.); Ai. 1077 κἂν **σῶμα γεννήσῃ** μέγα (cfr φύειν ὀδόντας, φρένας cet.). Item structuram credo explanandam esse O. R. 1297 ss. ὦ δεινὸν ἰδεῖν πάθος ἀνθρώποις, ὦ δεινότατον πάντων **ὅσ'** ἐγὼ **προσέκυρσα,** si quidem fieri vix potest, quin ad πάντων substantivum παθῶν suppleatur. Comparandum est Ant. 778 **τεύξεται τὸ** μὴ θανεῖν. Item Phil. 508 s. πολλῶν ἔλεξεν δυσοίστων πόνων ἆθλ' **ὅσσα** μηδεὶς τῶν ἐμῶν **τύχοι** φίλων: Seyffert dicit: "τυγχάνω non aliter jungitur cum accusativo, nisi significatio subest consequendi vel impetrandi." Plerique Herwerdeno auctore **λάχοι** scribunt, quod mihi quidem dubium videtur. At singula verba non enumerabo. Sed classes quædam verborum sunt, in quibus analogia magnam vim habuisse videtur.

In his sunt multa verba, quæ *metuendi* et *evitandi* notiones continent, qualia sunt: **ἐκπλήσσεσθαι** (Ai. 33, El. 1045, Phil. 226), νὶν **ἐξέστην** (Ai. 82), μή μ' **ἀποστραφῇς** (O. C. 1272), τὸ σὸν ὄμμα **ἀπέδραν** (Ai. 167).

Tum verba *rogandi*. Exempla sunt **λιπαρεῖν** (O. R. 1435), **προσπίτνειν** (Phil. 485), **ἀντιάζειν** (Ai. 492, O. R. 190), **ἱκετεύειν** (O. R. 41).

Deinde verba quæ significant *bene facere, bene dicere* et contraria. In his verbis Kühner (II 411, 5) de coalitione notionum recte dicit. Series credo hujusmodi fere est: 1) ὠφελεῖν τινα, βλάπτειν τινά, 2) εὐεργετεῖν, κακουργεῖν τινα — εὖ ποιεῖν, κακῶς ποιεῖν τινα, 3) ἀγαθὰ ποιεῖν, κακὰ ποιεῖν τινα. . Si Krügero credere licet (Poet. S. 46, 8, 1), proximorum generum duorum apud Homerum pauciora exempla inveniuntur. Ceterum hujus tam solitæ structuræ unum tantum exemplum proferam Ai. 21 s. **ἡμᾶς πρᾶγος ἄσκοπον** ἔχει **περάνας.**

γ. Sed etiam post alias locutiones ex verbo et substantivo compositas accusativus externi objecti sequitur. Sed cum multo rariores hæ structuræ sint, paulo copiosius de iis disseram. Primo exempla aliqua promam, in quibus incerta res videtur.

O. C. 223 **δέος ἴσχετε** μηδὲν **ὅσ'** αὐδῶ = μὴ δείσητε ὅσ' αὐδῶ. H. l. structura legitima fit, si enuntiatum relativum pro genitivo

substantivi esse putamus, quod putare licet. Schneidewin comparat Phil. 1162 *μηδενὸς κρατύνων* **ὅσα** *πέμπει βιόδωρος αἶα.*

O. C. 583 **τὰ** *ἐν μέσῳ ἢ* **λῆστιν ἴσχεις** *ἢ δι' οὐδενὸς ποιεῖ* = *τὰ ἐν μέσῳ ἢ ἐπιλανθάνει* cet. Potest tamen *τὰ ἐν μέσῳ* ita explicari, ut jam in his vocabulis pronuntiandis posterius membrum *δι' οὐδενὸς ποιεῖ* poetæ animo obversatum sit. Ceterum in his exemplis accusativus in neutro pronominis est, qua re facilius eum patimur. Cfr Krüger Poet. S. 46, 18, 3.

Tr. 996 *οἵαν* **μ' ἔθου λώβαν** = *ὡς μ' ἐλωβήσω.* Schneidewin et alii commentatores conferunt *θέσθαι* vel *ποιεῖσθαι γέλωτα, λάσθην, χλεύην τινά.* Dicunt apud tragicos poetas notionem simplicis verbi locutione ex verbo et substantivo juncta sæpe circumscribi sicut *σπουδὴν τίθεσθαι* pro *σπουδάζεσθαι* (Ai. 13). Recte hoc dicitur. Sed quid obstat, quin *λώβαν* prædicati accusativus esse putetur? Nam legimus O. R. 1452 s. *Κιθαιρών, ὃν* - **ἐθέσθην** *τάφον*, et O. C. 902 s. *ὡς μὴ* **γέλως** *ἐγὼ ξένῳ* **γένωμαι** *τῷδε,* ubi *γέλωτα γενέσθαι* passivum videtur esse locutionis *γέλωτα θέσθαι τινά.* Præterea in hujusmodi exemplis omnia in eo versantur, quomodo antiqui homines ipsi senserint, quod nobis difficile est dijudicare. Sed utcumque res se habet, vix licet cum Krügero (Poet. S. 46, 18, 1) ab his exemplis separare locutiones, quales sunt *τὴν χώραν λείαν ποιεῖσθαι, τὰ ἀνδράποδα ἁρπαγὴν ποιεῖσθαι.*

In exemplis, quæ jam afferam, ejusmodi difficultatis effugium non est. De nonnullis editores valde dubitarunt et emendationes proposuerunt. Sed ut in insolitis structuris cauti esse debemus, ita considerare oportet locutionem, quamvis inusitata sit, fortasse facile expediri posse, si sciremus, quid in scribendi momento in animo poetæ accidisset. Sicut El. 1377 s. *ἥ* **σε** *πολλὰ δὴ ἀφ' ὧν ἔχοιμι* **λιπαρεῖ προὔστην χερί.** Cum poeta *σε* scriberet vel potius in animo formaret, nonne tum fieri potuit, ut simplex verbum ex. gr. *ἱκετεύειν* menti ejus obversaretur, quod postea composita locutione *λιπαρεῖ προὔστην χερί* summoveretur, quippe quæ rem apertius sub oculos subjiceret? Et casu omnes analogiæ structuræ ortæ sunt. Sed stabant aut cadebant, prout iis opus erat et audientibus placebant. Forte provenit *δέει τεθνάναι τινά,* quod satis audacter credo dictum est. Sed ad summum metum exprimendum aptissimum erat,

quamobrem benigne acceptum est et usitatissimum fuit, id quod eo optime apparet, quod cum ellipsi dicebant *τεθνάναι τινά*. Præterea fieri potest, ut ipsum verbum *προὔστην* accus. *σε* regat. Jebb .confert fragm. 599 *προστῆναι μέσην τράπεζαν ἀμφὶ σῖτα καὶ καρχήσια,* quod tamen Kaibel putat corruptum esse. Nauck dicit non posse *προὔστην* retineri. Sed ad hoc jam satis dixi. — Ab hoc exemplo non multum abhorret O. R. 31 s. *θεοῖσι μέν νυν οὐκ ἰσούμενόν* **σ'** *ἐγὼ οὐδ' οἵδε παῖδες* **ἑζόμεσθ' ἐφέστιοι,** ubi Campbell accusativum *σε* ita expedit, ut dicat *ἑζόμεσθ' ἐφέστιοι* idem valere atque *ἱκετεύομεν* (Ess. on the Lang. pag. 23, 2 *a*). Et quamquam potest h. l. accusativus a sequenti participio *κρίνοντες* pendere (vide textum), credo tamen Campbellium rectius vidisse, quoniam illud participium satis longe abest et *ἰσούμενον* ipsum per se *ἴσον ποιούμενον, κρινόμενον* significat.

Minus oppugnantur exempla, quibus alloquendi notio subest. Sunt El. 556 *εἰ δέ* **μ'** *ὧδ ἀεὶ* **λόγους ἐξῆρχες** et O. C. 1120 **τέκν'** *εἰ φανέντ' ἄελπτα* **μηκύνω λόγον.** Cum his minus recte comparant (Wolff, Schn., Tournier, Jebb) O. C. 1150 s. *λόγος ὃς ἐμπέπτωκεν ἐμοί, συμβαλοῦ γνώμην,* de qua structura jam dixi cap. I, II ε b.

El. 709 **αὐτοὺς** *οἱ τεταγμένοι βραβῆς* **κλήροις ἔπηλαν:** *ἐκλήρωσαν.* Cur hic scribamus *αὐτοῖς* - - - *κλήρους ἔπηλαν,* quod Blaydes proposuit et Tournier probat, eo minor causa est, quod simillimus locus invenitur Aesch. Agam. 788 *θεοὶ Ἰλίου* **φθορὰς ψήφους ἔθεντο.** Magis mihi placet cum Wundero et Nauckio *αὐτοὺς* - - - **κλήρους ἔπηλαν** scribere collato Ant. 396 *κλῆρος ἐπάλλετο.* Sed scriptura codicum retineri potest.

El. 122 ss. *τίνα* **τάκεις οἰμωγὰν Ἀγαμέμνονα.** Hoc exemplum omnium credo audacissimum est, cum jam *τάκεις οἰμωγάν* audaciæ plenum sit: facis, ut querela liquescat i. e. fundatur. Tum velut post *οἰμώζεις* accusativus additur. Sed in lyrico carmine hic locus est, et quod metrum non convenit, antistrophæ versus tertius claudicare videtur. Nam strophæ v. tertius clausula glyconeæ periodi usitatissima est. — Quod autem Schneidewin exemplum comparat, Tr. 50 *πανδάκρυτ' ὀδύρματα τὴν Ἡράκλειον ἔξοδον γοωμένην,* non recte comparat. Nam *γοᾶσθαι* ipsum per se accusativum regit, et *ὀδύρματα* internum objectum est.

Tr. 205 ss. codicis La scriptura est *ἀνολολύξετε δόμοις ἐφεστίοις ἀλαλαῖς ὁ μελλόνυμφος ἐν δὲ κοινὸς ἀρσένων ἴτω κλαγγὰ τὸν εὐφαρέτραν Ἀπόλλω προστάταν*. Variæ emendationes proponuntur, sed plerisque commune est, ut dicant *τὸν Ἀπόλλω* a verbo *ἀνολολύζειν* pendere et *ἐν δὲ - - ἴτω κλαγγά* parenthesim esse putent. Verum si scribimus *ἀνολολύξατε - - -*, **ἁ** *μελλόνυμφος ἐν δὲ κοινὸς ἀρσένων* **ἴτω κλαγγὰ τὸν Ἀπόλλω,** quod Danielsson, prof. linguæ græcæ, in exercitationibus sem. class. proposuit, et mutatio minor est et multo concinnior sententia et magis composita fit: jubilate in domo: pueri Apollinem cantibus laudent; vos, puellæ, Dianam celebrate. Cfr Horatii carmen sæculare. Neque structura nobis, quot exempla vidimus, scrupulum injicere debet: *ἀρσένων ἴτω κλαγγά* item constructum est atque *οἱ ἄρσενες μελπόντων*. De adjectivo *μελλόνυμφος,* quod ad subst. *κλαγγά* pro subst. *ἀρσένων* relatum est (cfr cap. I, III).

Ant. 857 ss. *ἔψαυσας ἀλγεινοτάτας ἐμοὶ μερίμνας πατρὸς τριπόλιστον* **οἶκτον** *τοῦ τε πρόπαντος ἁμετέρου πότμου κλεινοῖς Λαβδακίδαισιν*. In hoc loco valet illud 'quot homines, tot sententiæ', quas equidem enarrare nolim. Nauck et eodem fere modo Campbell ponunt *μερίμνας* genitivum esse et ab locutione *ἔψαυσας μερίμνας* accusativum *οἶκτον* pendere — quod Nauck Brunckio auctore *οἶτον* scribit, et deteriorem sententiam reddit et plures mutationes requirit —, et potest ita se res habere. Dubito tamen, an *μερίμνας* accusativus pluralis sit, cui *οἶκτον* explicandi causa sit appositum (Cfr Wolffii adn.). Verbum *ψαύειν* cum accusativo assimilatione ad verbum *κινεῖν* jungi potuit, si Antigone nefas putabat de miserrima domus sorte loqui. Et vix casu evenit, ut paulo infra, v. 961, *ψαύων τὸν θεόν* eadem constructione dicatur. Videtur illa structura, cum primum poetæ in mentem venisset, ei non displicuisse. — De dativo *Λαβδακίδαισιν* infra videro.

O. R. 603 s. *καὶ τῶνδ'* **ἔλεγχον,** *τοῦτο μὲν Πυθῶδ' ἰὼν πεύθου τὰ χρησθέντ' εἰ σαφῶς ἤγγειλά σοι*. Tournier dicit vocabula *πεύθου - - - ἤγγειλά σοι* actionem exprimere, cujus objectum *τῶνδ' ἔλεγχον* sit. Sed *ἔλεγχον* simpliciter appositio totius sequentis enuntiati est. Cfr Ai. 559 *ψυχὴν ἀτάλλων, μητρὶ τῇδε* **χαρμονήν.**

Ai. 191 s. *μή μή* **μ',** *ἄναξ, - - - κακὰν* **φάτιν ἄρῃ.** Quid-

quid aliqui (Hermann, Campbell) dicunt, *μ'* accusativum esse a locutione *κακὰν φάτιν ἄρῃ* pendentem non defendam. Cfr Jebbii adn.

Restant duo loci, ubi verbum *ποιεῖν* vel *δρᾶν* videtur animo poetæ obversans accusativum effecisse. Sunt Ant. 211 s. *σοὶ ταῦτ' ἀρέσκει, παῖ Μενοικέως Κρέων,* **τὸν** *τῇδε* **δύσνουν** *καὶ* **τὸν εὐμενῆ** *πόλει* et Phil. 1116 s. *πότμος* **σε** *δαιμόνων τάδ', οὐδέ σέ γε δόλος ἔσχ' ὑπὸ χειρὸς ἐμᾶς.* Posteriore loco potest *τάδε* esse internum obj. verbi *ἔσχε*. Cfr adnot. Jebbii, qui affert Aesch. Pers. 750 *πῶς τάδ' οὐ νόσος φρενῶν εἶχε παῖδ' ἐμόν.* Ipse tamen aliter existimat.

δ. Postremo accusativus objecti post *adjectivum* invenitur Ant. 783 **σὲ φύξιμος** *οὐδείς* = *οὐδείς σε φυγεῖν δύναται.* — Etiam Ant. 721 *ἄνδρα* **πάντ' ἐπιστήμης πλέων** ejusmodi structuram statuere velim comparato Xen. Cyr. III 3, 9 *ἐπιστήμονες ἦσαν τὰ προσήκοντα.* Sed ut jam vidimus *πάντα* adverbialiter accipi potest. Cfr Tr. 338 *τούτων ἔχω γὰρ* **πάντ'** *ἐπιστήμην ἐγώ,* ubi quidquid Nauck dicit, codicum scripturam retinendam esse puto (suethice: om detta äger jag kunskap i allo, med afseende på hvarje punkt). Ellendt (lex.) in hoc genere ponit Tr. 649 **ἴδριες** *οὐδέν* et O. C. 525 *οὐδὲν ἴδριν.* Cfr Ai. 911 *ὁ πάντ' ἄιδρις.* Tr. 553 s. *ἔχω* **λυτήριον** *λύπημα*: hunc locum Schæferus (Ell. lex.) ita defendere tentavit, ut *λυτήριον* accusativum *λύπημα* regere diceret, quod tamen durius videtur. Ant. 781 *Ἔρως* **ἀνίκατε** *μάχαν*: Wunder accusativum *μάχαν* explicat comparando locutionem *νικᾶν μάχην.*

XI. De assimilatione comprom. in genitivo.

Primum genitivi proprium erat, ut duo substantiva inter se conjungeret. Prout significatio utriusque et universa sententia variat, nobis varia munera ille casus sustinere videtur variisque nominibus appellatur (Cfr G. Curtius Erläut. pag. 163, Brugm. Gr.[2] 182). Illa genitivi incerta notio fortasse maxima causa erat, cur hic casus aliis structuris, quæ rationes, quæ inter substantiva intercederent, apertius ostenderent, sæpe commutaretur. Ita certæ regulæ paulatim oriri poterant, ex. gr. in latina lingua de genitivo qualitatis. In græca autem lingua

ille genitivi usus semper liberrimus erat, fortasse tamen de analogia dicere possumus in exemplis, quale est Phil. 1039 **κέντρὸν** *θεῖον* - - **ἐμοῦ** (desiderium mei), de quo Jebb dicit: The objective gen. is like that after *ἐπιθυμία,* since *κέντρον*, like *οἶστρος,* was constantly associated with that idea.

Num quodlibet verbum ab initio cum genitivo jungi potuerit, si modo actio ejus ad partem objecti referretur, magis dubium est. Atque, etiamsi antiquissimis temporibus ita res se habuerit, verisimillimum tamen est posteriore ætate Græcos ipsos alios usus ad alia exemplaria effictos sensisse (Cfr Delbrück Synt. Forsch. IV pag 46). Quod si verum est, sequitur analogiam in genitivo post verbum eliciendo vim habuisse.

α. Ab antiquissimo tempore oriundus videtur is genitivus esse, qui post verba *sentiendi* et *dicendi* eodem sensu invenitur atque *περί* cum genitivo, ex. gr. Tr. 1122 **τῆς μητρὸς** *ἥκω τῆς ἐμῆς φράσων, ἐν οἷς νῦν κυρεῖ.* Fortasse hic genitivus nova expugnavit in exemplis, qualia sunt: O. C. 355 *μαντεῖα ἃ* **τοῦδ' ἐχρήσθη σώματος.** Tr. 169 s. *τοιαῦτ' ἔφραζε πρὸς θεῶν* **εἱμαρμένα τῶν Ἡρακλείων** *ἐκτελευτᾶσθαι* **πόνων.** Cfr quæ jam dixi cap. I, II *η*. Cur Nauck hoc loco genitivum prorsus rejiciat, non video. Similiter explicandum esse credo Phil. 852 *οἶσθα γάρ,* **ὧν αὐδῶμαι:** scis, de quibus rebus loquar [1]).

β. Verba *curæ* et *incuriæ* genitivum regunt. Inter hæc verba sunt *ἐντρέπεσθαι* et *ἐπιστρέφεσθαι* (illud ex. gr. Ai. 90, El 519; hoc Phil. 598 *τοῦδ' ἐπεστρέφοντο*), quæ quomodo talem sensum acceperint, facile intelligitur comparata germana locu-

[1]) In hoc cantico explicando reputandum est chorum vel potius choreutas — nam in singulos dispertitum fuisse mihi persuasum est — summissa voce locutos esse, ne Philoctetam e somno suscitarent. Is autem, qui ita loquitur, sæpe etiam abrupte et obscure loquitur. Quod deest, signis explet. Unus choreuta dicit: "hæc deus viderit" cet., cogitans de Philocteta Troiam ducendo, quod Neoptolemus jam necesse esse significaverat. A versu 849 alius incipit: "verum illud quam maxime considera quomodo occulte perficias. Scis nimirum, de quibus rebus dicam." Cogitat autem de arcu sagittisque avertendis. Denique tertius sententiam Neoptolemi repetens: "si istam sententiam habes de hoc (*τούτῳ* is dat. of relation, nearly = *περὶ τούτου* Jebb) i. e. si vis Philoctetam abducere, prudentibus licet mala, quæ sanari non possint, providere." Cfr de universa re Chr. Muff Die Chorische Technik des Sophocles Halle 1877 pag. 248 ss., quamquam singula non probo.

tione 'sich an etwas kehren'. Eodem modo simplex *στρέφεσθαι* usurpatur Ai. 1116, neque scio, cur O. R. 728 **ποίας μερίμνας** *τοῦθ'* **ὑποστραφεὶς** *λέγεις*, editoribus (Nauck., Bell., Mein., Blaydes.) tantum emendandi ardorem excitaverit. Credo equidem locum simpliciter explicari et posse et debere: quam sollicitudinem respiciens hoc dicis? Neque enim præpositio *ὑπό* magnam difficultatem habet (Cfr lex.). — In eodem genere ponendum est **παριέναι,** quod cum genitivo junctum est O. C. 1212 **τοῦ μετρίου παρείς,** quia notio verbi *ἀμελεῖν* subest. — Cum his verbis cognatam vim habent composita **προταρβεῖν** (Ant. 83 *μή μου προτάρβει*. Item Tr. 88) et **ὑπερδεδιέναι** (Ant. 82 *ὑπερδέδοικά σου*). Sed ad illos genitivos efficiendos præpositiones adjuvare potuerunt (Cfr Kühn. II 428, 9, 3). Eadem ratio est Ant. 630 *ἀπάτας λεχέων* **ὑπεραλγῶν.** Nonnulli *ἀπάτας* accusativum plur. dicunt esse, quia doricam formam in anapæstos immittere nolunt (Dind., Tournier. Nauck *ἀπ. λεχέων* resecat). Sed in anapæstis doricæ formæ interdum usurpantur (Cfr Gerth Quæst. de Græcæ trag. dialecto pag. 71). Et ad sententiam credo singularem aptiorem esse. Præterea eadem structura eodem sensu alibi invenitur (ex. gr. Eur. Hipp. 260). Neque tamen absurdum accusativum esse puto, quoniam *ὑπεραλγεῖν* sic apud posteriores construitur et simplex verbum **ἀλγεῖν** apud Sophoclem cum accusativo jungitur Ai. 790 *πρᾶξιν ἣν ἤλγησ' ἐγώ*. — O. R. 233 s. *καί τις ἢ* **φίλου** *δείσας ἀπώσει τοὔπος ἢ* **χαὐτοῦ** *τόδε*. Wolff putat *δείσας* genitivos regere, quod idem fere valeat atque *κηδόμενος*. Quod mihi haud displicet, quamquam plerique genitivos cum verbo *ἀπώσει* jungunt. — El. 1174 *ποῖ* **λόγων** *ἀμηχανῶν ἔλθω*: Kaibel dicit *ἀμηχανεῖν* ut synonymum *ἀπορεῖν* cum genitivo constructum esse. Ceterum hæc structura jam ab Herodoto adhibita est (I 35 *ἀμηχανήσεις χρήματος οὐδενός*). Sed comparatis exemplis, quæ in commentariis afferuntur, vocabula *ποῖ λόγων* jungenda esse verisimilius videtur.

γ. Verbum *μετέχειν* sim. genitivum partitivum regunt. Eodem sensu simplicia verba **ἔχειν** et **νέμειν** cum genitivo juncta inveniuntur: O. R. 240 *χέρνιβος νέμειν*, v. 709 *μαντικῆς ἔχον τέχνης*, quod vix commemorarem, nisi Nauck priore loco *χέρνιβας* cum deterioribus codicibus scripsisset et ad v. 709 de integritate loci dubitaret. Multa ejusmodi exempla habemus Kühn.

II 416 Anm. 2. — Etiam verba **ἀντάω, πελάζω** sim., quæ proprio sensu cum dativo junguntur (sicut Ai. 533 *σοὶ ἀντήσας*), genitivum regunt, si *participem fieri* significant. Inde ab Homero (*ἀντάω* et *ἀντιάω*, non *πελάζω*) hæc structura usitata est [1]. — Longius a principali notione **ἀνύειν** processit. Proprie significat *perficere*. Tum usurpatur hoc sensu: viam perficere, accedere sicut Ai. 606 s. *ἀνύσειν Ἅιδαν;* similiter Ant. 804 s., O. C. 1562 s. Et si hanc vim adeptum est, in illorum analogiam, de quibus proxime egi, meo quidem judicio facile trahitur, ita ut cum genitivo jungatur. Hoc modo rem optime censeo explanari O. C. 1754 *προσπίτνομέν σοι* — **τίνος χρείας ἀνύσαι;** latine: supplicamus tibi — cujus optati ut potiamini? Commentatores alius aliter locum explicant. Plerique in eo consentiunt, ut genitivum *τίνος χρείας* verbo *προσπίτνομεν* per analogiam verbi *χρῄζομεν* regi putent. Tum *ἀνύσαι ἐπεξηγήσεως* causa additum dicunt significans aut perficere (*me* Wolff) aut impetrare (*vos* Nauck, Tournier, Campbell, Jebb). Sed si nihilominus ad analogiam confugiendum est, num hæc facilior est quam illa, quam ego proposui? Accedit quod mea expositione alius locus illustratur, El. 1451 *φίλης προξένου κατήνυσαν*, quod cum Campbellio et Kaibelio explicaverim *φίλης προξένου ἠντίασαν* s. *ἔτυχον*. Wolff de ambiguitate loquitur (Cfr ejus adn.), Nauck verba *φίλης - κατήνυσαν* intelligi negat ullo modo posse, Jebb *οἶκον* cogitatione addit. — Etiam verbum **κιχάνειν,** quod alias semper cum accusativo construitur, vi analogiæ correptum est O. C. 1487 *ἐμψύχου μου κιχήσεται* [2]. Similiter **ἐντήκεσθαι** fragm. 855 v. 7 (*Κύπρις*) *ἐντήκεται* **πλευμόνων** *ὅσοις ἔνι ψυχή*.

---

[1]) Exempla apud Sophoclem sunt El. 869 *οὔτε τάφου ἀντιάσας οὔτε γόων παρ' ἡμῶν*. O. C. 1445 *ἀντῆσαι κακῶν*. Idem verbum cum gen. Ant. 981 ss. Phil. 719 *ἀνδρῶν ἀγαθῶν παιδὸς ὑπαντήσας* ("vacante præpositione" Brunck) — Phil. 1327 *Χρύσης πελασθεὶς φύλακος*. Item Ai. 889. quamquam scriptura incerta est. Similiter Ai. 709 s. *λευκὸν πελάσαι* (intr.) *φάος νεῶν*, ubi appropinquandi significatio in verbo aperte restat, quod tamen non nimis mirari debemus posteriorem structuram ad vetustiorem vim transferri. — O. R. 1100 *Πανὸς προσπελασθεῖσα*. Tr. 17 *τῆσδε κοίτης ἐμπελασθῆναι*.

[2]) Quod composita *προσ - τυγχάνειν* (El. 1463. Phil. 552). *συν - τυγχάνειν* (O. C. 1482. Phil. 320) genitivum pro dativo regunt, hoc situm in eo est, quod in ejusmodi exemplis ipsius verbi notio prævalet, præpositio autem appendix quædam est.

Ejusdem generis genitivus est post *ἀπολαύεσθαι,* quod alia verba nonnulla ad suam structuram transduxisse videtur. In his est **ἥδεσθαι** Phil. 715 *οἰνοχύτου* **πώματος** *ἥσθη*. Comparandum est *τέρπεσθαι,* quod apud Homerum sæpe cum genitivo jungitur (ex. gr. Od. III 70 *ξεῖνοι τάρπησαν ἐδωδῆς*). — Deinde **ὠφελεῖν** O. C. 436 *οὐδεὶς ἔρωτος τοῦδ' ἐφαίνετ' ὠφελῶν,* quod scholiasta interpretatur: *οὐδείς με τούτου τοῦ ἔρωτος ἐποίει ἀπολαῦσαι*. Exemplum, quod commentatores comparant, Antiph. V 17, incertius videtur esse. Sed Plut. Mor. 91 e. eadem structura invenitur (Kühn. II 417, 3). Et eodem modo **ὀνίνημι** interdum construitur, ex. gr. Tr. 570 s. *τοσόνδ' ὀνήσει τῶν ἐμῶν - πορθμῶν*. Præterea non absurdum est putare participium *ὠφελῶν* propter nominalem naturam cum genitivo junctum esse (Cfr Brugmann Gr.[2] 171). Itaque, quamvis Jebb aliique genitivum infeste impugnent, eum se recte habere non dubito. — Paulo difficilior genitivus post **εὖ πράττειν** intellectu est, cujus usus Kühner (l. l.) duo exempla affert, quæ sunt O. C. 391 et O. R. 1006. Sed in priore exemplo lacuna in codice La est, quam Par. A præpositione **ὑπό** explet. Neque scio, an in hac scriptura cum plerisque editoribus sit acquiescendum. Et O. R. 1006 *ὅπως σοῦ πρὸς δόμους ἐλθόντος εὖ πράξαιμί τι* nihil obstat, quin *σοῦ - ἐλθόντος* genitivi absoluti sint.

Verbum **ἐπιβαίνειν** vulgo cum genitivo jungitur. Eodem modo **ἐμβαίνειν** (O. C. 400), **ἐμβατεύειν** (O. R. 825), **ἐπεμβαίνειν** (O. C. 924) construuntur. Potest fieri, ut *ἐπιβαίνειν* præcipue propter præpositionem genitivum receperit illiusque verbi similitudinem, præsertim cum multo usitatius id esset, cetera verba secuta sint. Aperte præpositio genitivum elicuit post *διαρροιζεῖν, διάσσειν* [1]).

τοῦ πρόσω (ex. gr. *τοῦ πρόσω ἰέναι*) genitivus partitivus sine dubio est. Ad hujus locutionis similitudinem Sophocles **τοῦ προσωτάτω** effinxit Ai. 731 *ἔρις δραμοῦσα τοῦ προσωτάτω,* quamquam superlativus certum limitem exprimit (Cfr Brugmann Gr.[2] 182 extr.).

---

[1]) Tr. 568 *ἰὸς ἐς πλεύμονας στέρνων διερροίζησεν,* vv. 1082 s. *ἄτης σπασμὸς διῇξε στέρνων*. Cfr Ai. 771 s. *δίας Ἀθάνας - - - -. ἀντιφωνεῖ δεινὸν - - ἔπος,* ubi genitivus videtur pendere a præp. *ἀντί* principali vi - *ἐναντίον* (Kühn. II 429. 1).

δ. Genitivus separativus post *στερίσκειν* sim. sequitur. In eorum analogiam apud Sophoclem tracta sunt *ψεύδειν* et *σφάλλειν* (neutrum sic apud Homerum). Exempla sunt: Ai. 1382 *καί μ' ἔψευσας* **ἐλπίδος** *πολύ*. Tr. 712 s. *ψευσθήσομαι* **γνώμης**. Et ita jam Aeschylus Pers. 472 *ἔψευσας* **φρενῶν** *Πέρσας*. Recordari debemus verbum *ψεύδειν* etiam cum duobus accusativis junctum nos apud Sophoclem invenisse. — Tr. 1113 **ἀνδρὸς** *τοῦδέ γ' εἰ σφαλήσεται*. Cfr Thuc. V 110, 2 *εἰ τοῦδε σφάλλοιντο*. In his verbis fortasse numerandum est *ἀποσυλᾶν* O. C. 1330 *ὅς μ' ἐξέωσε κἀπεσύλησεν* **πάτρας** (Jebb in comm.: it would seem that, aided by *ἐξέωσε*, the poet has used *ἀπεσύλησεν* with the constr. of *ἀπεστέρησεν*).

Etiam verbi **ἀπαλλάσσεσθαι** similitudinem verba aliqua videntur in syntaxi secuta esse, ex. gr. Phil. 1334 *πρὶν ἂν* - - **νόσου μαλαχθῇς** *τῆσδε*. Ai. 744 *θεοῖσιν ὡς* **καταλλαχθῇ χόλου**. 716 s. *Αἴας* **μετανεγνώσθη θυμῶν** *Ἀτρείδαις μεγάλων τε* **νεικέων**. O. R. 673 s. *ὅταν* **θυμοῦ περάσῃς** (*πέραν τοῦ θυμοῦ ἰέναι* Wolff, ad sensum verbi *ἀπαλλαχθῇς* Schneid.). — Verba **φεύγειν** et **ἁλύσκειν** si cum genitivo junguntur, structura ad similitudinem verbi **ἀπαλλάσσεσθαι** sim. formata videtur esse. Et recte et apte sic construuntur, cum significant ex eo, in quo quis jam fuit, fugere sicut O. C. 1024 *χώρας φυγόντες τῆσδε*, Phil. 1044 *νόσου πεφευγέναι*. Item El. 626 s. *θράσους τοῦδε οὐκ ἀλύξεις* (Wolff). Contra hanc structuram in alienum locum translatam puto Ant. 489 *οὐκ ἀλύξετον* **μόρου** *κακίστου*, ubi accusativus rei aptior est. Apud Homerum *φεύγειν* *semel* cum genitivo positum est, Od. I 18 *οὐδ' ἔνθα πεφυγμένος ἦεν* **ἀέθλων** (Delbrück Vergl. Synt. pag. 203). De verbo *ἀλύσκειν* cfr Od. XXII, 460 **ὅθεν** *οὔ πως ἦεν ἀλύξαι*. Videtur ceteris locis cum acc. constructum esse (Seil. lex.).

ε. Genitivum *comparationis* propter naturam suam etiam post superlativum gradum poni posse jam notum est (Delbrück Synt. F. IV pag 48, Brugm. Gr.[2] 183, O. Schwab Synt. der Griech. Comp. p. 38 (Schanz Beitr. IV)), quamobrem ad analogiam non confugiendum est in locutionibus, quales sunt: Ant. 100 s. *τὸ κάλλιστον τῶν προτέρων φάος*. Phil. 1171 *λῷστε τῶν πρὶν ἐντόπων*. Ant. 1212 *δυστυχεστάτην κέλευθον τῶν παρελθουσῶν ὁδῶν*.

Verbum **νικᾶσθαι,** quamquam ut trans. passivum cum *ὑπό*

et genitivo aut cum dativo jungi debet, analogia verbi *ἐλαττοῦσθαι* sim. etiam cum genitivo comparationis ponitur. (Non apud Hom. Delbrück Vergl. Synt. p. 212). Hæc structura quodammodo ad activum trajecta esse videtur Ai. 1357 *νικᾷ γάρ ἀρετή με* **τῆς ἔχθρας** *πολύ*, nam quamquam id dici non potest *τῆς ἔχθρας* ab ipso verbo **νικᾷ** pendere, credo tamen genitivum comparativa notione, quæ ex illo facile sumitur, effectum esse (Cfr Jebbii adn.). Non multum differt Phil. 1100 **τοῦ** *λῴονος* **δαίμονος** *εἵλου τὸ κάκιον αἰνεῖν* (conjecit Hermann pro *ἑλεῖν*): Jebb dicit in adn.: The gen. *τοῦ* - - - *δαίμονος* depends not on *εἵλου* alone (as if it were *προέκρινας*), but on the idea of comparison suggested by the whole frase *εἵλου τὸ κάκιον αἰνεῖν*. Verum incertissimus locus est. — Phil. 126 s. *ἐάν μοι* **τοῦ χρόνου** *δοκῆτέ τι κατασχολάζειν*: Jebb putat genitivum ita explicandum esse, ut poeta verbum *κατασχολ.* ad similitudinem verbi *ὑστερεῖν* vel *λελεῖφθαι* construxerit. Plerisque tamen accusativus **τι** videtur a verbo *κατασχολ.* pendere ita: partem temporis constituti otiando perdere (Cfr inprimis Campbellii adn.).

ζ. Genitivum, qui post verba *nascendi* invenitur [1]), grammatici (Cfr Krüg. A. S. 47, 6, 5, Kühn. II 418, 7) et commentatores dilatatione genitivi prædicati explanant. Sed illum genitivum antiquiorem ablativum esse inde apparere videtur, quod in latina lingua participium *natus* sim. cum ablativo junguntur. Præterea de hac re cfr Delbr. S. F. IV pag. 47, Vergl. Synt. pag. 207. — Participium **τραφείς** simili fere vi eandem structuram recepit Phil. 3 *πατρὸς τραφείς*. Quamquam, cum nulla forma verbi *τρέφεσθαι* nisi participium cum genitivo juncta esse videatur, ille genitivus idem potest esse, qui etiam alias post participia et adjectiva verbalia in -*τος* exeuntia reperitur, de qua re confer Brugm. Gr.[2] 171, Delbrück Vergl. Synt. pag. 348 [2]).

---

[1]) Ai. 487 *ἔξεφυν πατρός*. O. C. 1324 *τοῦ κακίστου πότμου φυτευθείς*. Tr. 403 *ὧν ἔβλαστεν, οὐκ ἔχω λέγειν*. O. C. 531 *ματρὸς κοινᾶς ἀπέβλαστον ὠδῖνος*. El. 775 *τῆς ἐμῆς ψυχῆς γεγώς*.

[2]) Exempla ex Sophoclis fabulis afferam: Tr. 934 *ἐκδιδαχθεὶς τῶν κατ' οἶκον* (per analogiam part. *ἐκμαθών*?). El. 344 *νουθετήματα κείνης διδακτά*. Ai. 807 *φωτὸς ἠπατημένη* (*ὑστερουμένη* s. *ἡττημένη*. Tournier). Phil. 1066 s. *οὐδὲ σῆς φωνῆς προσφθεγκτος* (*ἄφθεγκτος*?). Tr. 1051 *Ἐρινύων ὑφαντὸν ἀμφίβληστρον* (genitivus cum *ἀμφίβληστρον*?).

η. Adjectivorum cum genitivo junctura [1]) apud Sophoclem late patet, in qua propaganda analogia sine dubio magnam vim habuit. Sic ad adjectivi *ἄξιος* similitudinem puto **πρέπων** constructum esse Ai. 534 *πρέπον - - ἦν δαίμονος τοὐμοῦ τόδε,* quæ structura etiam reperitur Plat. Menex. pag. 239 c *πρεπόντως τῶν πραξάντων* (Kühn. II 418, 4). — Et per analogiam adjectivorum, quæ plenitatis notionem continent, videntur cum genitivo juncta esse **μέλας** Tr. 717 *ἰὸς αἵματος μέλας* et **ὕπουλος** O. R. 1396 *κάλλος κακῶν ὕπουλον.* Utrobique Nauck aliique corruptelam essə putant. Et priore loco haud ita repugno, illud quidem minus propter ipsam structuram, sed quia textus aliis difficultatibus laborat. Sed in posteriore exemplo pæne cæci hominis est cum Nauckio structuram his verbis repudiare: "Aber *ὕπουλός τινος* lässt sich nirgends weiter nachweisen." Non invenitur. Credo. Sed similes structuræ sexcentæ inveniuntur, ubi post adjectiva ex substantivis et præpositionibus composita gravitatis aut explicationis causa genitivus additur. Sicut apud Sophoclem O. R. 420 *βοῆς* **σύμφωνος,** v. 212 *μαινάδων* **ὁμόστολος,** Ai. 1405 *τρίποδα λουτρῶν* **ἐπίκαιρον** multaque alia, post quæ, si verum dicimus, genitivus difficilius explanatur. Nam hoc loco facile fieri potuit, ut poeta, cum *κάλλος κακῶν μεστόν* vel aliud ejusmodi scripturus esset, gravius illud *ὕπουλον* subjiceret eique plenitudinis notionem immisceret. Et quanto inanius et languidius est, quod Nauck proposuit: *ἕλκος κακῶς ὕπουλον?* Sed plana quidam omnia volunt. — Etiam adjectiva *α* privativo composita genitivum regunt, qui genitivus, nisi alterum membrum ipsum per se hunc casum requirit, genitivus separativus est (Cfr Kühn. II 421, 4, Anm.). Nam *ἄχαλκος, ἄσκευος, ἄλυπος* similiaque nihil nisi carendi notionem pleniore modo circumscribunt, sicut O. R. 191 **ἄχαλκος** *ἀσπίδων,* O. C. 676 ss. *φυλλάδα* **ἀνήνεμον** *πάντων χειμώνων,* Ai. 321

[1]) De hujus structuræ origine dicit Delbrück (Vergl. Synt. pag. 353): Die übrigen (supra de adjectivis præp. *ἐπί* compositis aliisque nonnullis dixerat) hier zu erwähnenden Adjectiva sind, sei es wirklich, sei es ideal, durch die Stufe des Partizipiums durchgegangen, haben also ihre Konstruktion vom Verbum entlehnt" cet. Cfr e sermone Sophoclis El. 3 *ὧν πρόθυμος ἦσθ' ἀεί.* "Since *πρόθυμος ἦσθ' - ἐπεθύμεις*" Jebb. Item fere Kaibel, qui confert v. 1078 *προμηθὴς τοῦ θανεῖν.* (Utrumque semel in græcis literis. Kaibel).

ἀψόφητος κωκύματων, v. 909 **ἄφρακτος** φίλων, fragm. 174 ἄνθος **ἄλυπον** ἀνίας. Cfr El. 241 s. **γονέων ἐκτίμους** πτέρυγας γόων: genitivum ad ἐκτ. similiter positum atque post adjectiva α privativo composita putat Jebb.

XII. De assimilatione comprom. in dativo.

a. *Substantiva* interdum in græca lingua cum dativo junguntur. Hujus dativi duo genera sunt. *Aut* enim similitudine verbi alicujus aut adjectivi, quocum substantivum regens cognatum est, ille casus efficitur, *aut* hæc structura progressu explicanda est ejus usus, quo frequentissime cum verbo εἶναι dativus possessivo sensu conjungitur (Brugm. Gr.[2] 185. Brugmann Ein Problem der Hom. Textkritik pag. 139 ss. Delbr. S. F. IV pag. 54 b, Vergl. Synt. pag. 294, 303 ss. Kühn. II 424, ubi multa exempla sunt). Prioris generis exempla sunt: Tr. 668 τῶν σῶν **Ἡρακλεῖ δωρημάτων.** Cum hoc loco conferre possumus Tr. 872 δῶρον **Ἡρακλεῖ** τὸ **πόμπιμον,** ubi adject. πόμπιμον verbali sensu pro πεμφθέν positum dativum regit. — Ant. 862 s. **κοιμήματα** αὐτογέννητα ἀμῷ **πατρὶ** δυσμόρου ματρός, ubi κοιμήματα cum dativo jungitur eodem sensu atque verbum κοιμᾶσθαι Hesiod. Th. 213 οὔ **τινι κοιμηθεῖσα** θεὰ τέκε Νὺξ ἐρεβεννή. Etiam paulo supra, Ant. 859 ss. τοῦ πρόπαντος ἁμετέρου **πότμου** κλεινοῖς **Λαβδακίδαισιν** dativum eo credo provenisse, quod ex nomine πότμου verbalis notio ὃς ἔπεσε animo poetæ obversata est. Contra **ἁμετέρου,** quod eosdem Labdacidas significat, de proprio casu non dejectum est, ita ut confusio duarum structurarum h. l. statuenda sit. — Etiam instrumentali vi dativus post substantivum sequitur O. C. 1026 s. τὰ **δόλῳ** τῷ μὴ δικαίῳ κτήματα: κτήματα δόλῳ κτηθέντα.

Alterius generis dativus est El. 343 ἅπαντά **σοι** τἀμὰ νουθετήματα. Nam interpretatio hæc est: omnia quæ tu me admonuisti, ita ut **σοι** subjectum, **τἀμά** objectum admonendi notionis significent [1]). Et similiter Wolff explicat El. 1066 ὦ χθονία **βροτοῖσι** φάμα, ita ut βροτοῖσι dativum possessoris

[1]) Fieri potest, ut hæc structura ex antiquo usu supersit. Nam formæ μοι, σοι, οἱ etiam genitivi fuerunt. Cfr Delbrück Vergl. Synt. pag. 462 s., 481 s., Brugm. Gr.[2] 185 extr.

esse dicat ("du den Sterblichen gehörige Stimme"). Sed potius dativus commodi est cum *χθονία* jungendus ita: o fama, quæ mortalibus sub terram penetras (Cfr Schneidewini adn.). — Præterea separanda ea exempla sunt, ubi dativus rectius a verbo aut a toto enuntiato pendet, quale est Ant. 571 *κακὰς ἐγὼ γυναῖκας* **υἱέσι** *στυγῶ*. Nam *στυγῶ* idem valet atque *οὐ βούλομαι*. Cfr Phil. 87 *πράσσειν στυγῶ*, et Il. VII 21 *Τρώεσσι δὲ βούλετο νίκην*. Sic Tournier rem expedit. Schneidewin minus recte comparat Tr. 668, quod exemplum supra attuli.

β. Præterea natura dativi et veri et instrumentalis ejusmodi est, ut in quolibet enuntiato ut dativus ethicus, relationis, commodi cet. inseri possit, neque tamen plerumque ad analogiam rem referre licet. — Pauca tamen exempla sunt, ubi aperta analogia est. Velut verbum **τιμᾶν** cum dativo personæ duobus locis jungitur, ubi dandi s. tribuendi notionem implexam habet, Ai. 687 **μοὶ** *τάδε τιμᾶτε* (hæc mihi honoris causa tribuite. Schneid.), Ant. 514 *πῶς* **ἐκείνῳ** *δυσσεβῆ τιμᾷς χάριν*. Quamquam posteriore loco dativus *ἐκείνῳ* forsitan rectius cum Wolffio et Campbellio ad adjectivum *δυσσεβῆ* referatur, ita ut de Eteocle, non Polynice dicatur. — Verbum **ὠφελεῖν** cum dativo junctum est Ant. 560 *τοῖς θανοῦσιν ὠφελεῖν* itemque **ξυνωφελεῖν** Phil. 871 *ξυνωφελοῦντά μοι;* quæ structura analogia verbi *λυσιτελεῖν* sim. facile orta est. Ceterum dativum post *ὠφελεῖν* jam Aesch. posuit Pers. 842 *τοῖς θανοῦσι πλοῦτος οὐδὲν ὠφελεῖ*.

γ. In verbis compositis nihil memorabile videtur, nisi quod verba cum præpositione *εἰς* composita præter consuetudinem cum dativo junguntur, quem usum facillime intelligemus, si reputaverimus hæc verba idem significare atque *ἐγγίγνεσθαι, παρεῖναι* cet. sim., quæ ad syntacticæ rationis præcepta cum dativo ponuntur. Exempla sunt: O. C. 372 **εἰσῆλθε τοῖν** *τρὶς* **ἀθλίοιν** *ἔρις κακή*. Tr. 298 **ἐμοὶ** *οἶκτος δεινὸς* **εἰσέβη**. Fragm. 855 v. 9 *(ἡ Κύπρις)* **εἰσέρχεται** *ἰχθύων πλωτῷ* **γένει**. Cfr Her. III 14, 5 *αὐτῷ τε Καμβύσῃ ἐσελθεῖν οἶκτόν τινα*. Animadvertenda etiam structura est Phil. 1111 *ἀλλά* **μοι** *ἄσκοπα ἔπη* **ὑπέδυ**. Schneidewin hoc loco structuram ita exponit, ut *φρένας* intelligendum esse dicat. Sed unde hoc nomen ei tam commode repertum sit, non video neque verbum *ὑποδῦναι* ab aliis verbis, quæ cum dativo junguntur, tantum abest, ut eorum similitudinem

sequi non potuerit. Sicut ὑπεῖναι cum dativo junctum est Dem. XVIII 315 **τοῖς ζῶσι** πᾶσιν ὕπεστί τις ἢ πλείων ἢ ἐλάττων φθόνος (Krüg. A. S. 48, 11, 11). Et hoc ipsum verbum cum dativo junctum Jebb affert Hom. Od. X 398 **πᾶσιν** δ' ἱμερόεις ὑπέδυ γόος.

δ. Dativum post locutiones compositas idem significantes atque verba, quæ dativum regunt, adhiberi notissimum est (Cfr Krüg. A. S. 48, 9, 1). Sed ut plurima, ita ad intelligendum facillima illa exempla sunt, quamobrem pauca modo promam. Sic O. C. 975 εἰς χεῖρας ἦλθον **πατρί.** Ant. 742 διὰ δίκης ἰὼν **πατρί.** Usitatissimæ hæ locutiones sunt. Magis insolitum est quod legitur Tr. 441 s. **ἔρωτι** ὅστις ἀντανίσταται εἰς χεῖρας, quæ loquendi ratio ex duabus commixta videtur esse: ἔρωτι ὅστις ἔρχεται εἰς χεῖρας et ἔρωτι ὅστις ἀντανίσταται. Certe ἀντανίσταται solum satis est. — Aliud exemplum est O. R. 783 s. δυσφόρως ἦγον τοὔνειδος **τῷ μεθέντι,** ubi dativus, "quia præcedentia verba irascendi notionem continent" (Dindorf). Similiter O. C. 962 φόνους **μοι** - - - τοῦ σοῦ διῆκας στόματος (= ὠνείδισας, Tournier). Denique afferam O. C. 722 s. ἄσσον ἔρχεται Κρέων ὅδ' **ἡμῖν,** ubi Blaydes ut ἡμῶν legamus proponit (Cfr Nauckii adn.). Sed illa non opus est mutatione, si quidem ἄσσον ἔρχεται idem atque προσέρχεται valet.

Post **χαλεπῶς φέρειν** sim. instrumentalem dativum pro accusativo interdum adhiberi notum est (Cfr Ziemer Str. pag. 98). Exemplum habemus Phil. 1011 s. ἀλγεινῶς φέρων **οἷς** ἐξήμαρτεν, ubi ἀλγεινῶς φέρειν ad verbi ἀγανακτεῖν similitudinem constructum est.

XIII. De assimilatione comprom. in præpositionum usu.

Casibus absolutis de præpositionum usu pauca adjungam, quod eo potius hoc loco faciam, quod præpositiones casibus supplemento atque explicationi sunt. Primo singularia aliqua proferam.

α. Ai. 1030 ζωστῆρι **πρισθεὶς** ἱππικῶν **ἐξ** ἀντύγων: πρισθείς eodem modo atque δεθείς constructum est. Quomodo verbum πρίω ad ejusmodi vim et structuram pervenerit, Lobeck in adnotatione h. v. præclare exponit, ad cujus verba nihil addam.

Nauck Morstadtio auctore vv. 1028—1039 rescindere vult, quamobrem, ut vulgo fit, omnia mira reperit (Cfr adn. ejus). Sed ejusmodi argutiæ illius ætatis Atheniensibus valde placebant, neque Euripides, etiamsi iis uberius usus est, primus eas in tragoediam intulit. Jam apud Aeschylum multis locis inveniuntur, ex. gr. Eum. in jurisdictione inter Orestem et Furias. Et inter eos Sophocles medium locum tenet. Atque Teucrum multis et inutilibus verbis supra modum vagatum esse responsum chori declarat, quo eum ad rerum veritatem revocat: *μὴ τεῖνε μακράν, ἀλλ' ὅπως κρύψεις τάφῳ* cet. — El. 237 *πῶς* **ἐπὶ** *τοῖς φθιμένοις ἀμελεῖν καλόν; ἀμελεῖν,* quod, ut scimus, cum genitivo jungi solet, analogia verborum *σπουδάζειν* similiumque cum *ἐπί* et dat. junctum est. — El. 835 s. **κατ'** *ἐμοῦ τακομένας μᾶλλον* **ἐπεμβάσει.** Tournier *κατά* cum *τακομένας* per tmesin jungit, quod si recte fit, *ἐπεμβαίνειν* h. l. eodem modo construitur atque cum locali sensu adhibetur. Potest hoc fieri, non nego, sed idem verbum El. 456, ubi item atque v. 836 translate dicitur, cum *dativo* jungitur atque id quamquam vocabulo **ποδί** addito similitudo satis aperta est. Itaque credo rectius esse *κατά* cum **ἐμοῦ,** quod plerique faciunt, conjungere, ita ut *ἐπεμβαίνειν* ad similitudinem eorum verborum, quæ vituperandi notionem continent, constructum esse putemus. Accedit quod **κατά** pluribus locis apud Sophoclem insolite usurpatur sicut Phil. 328 *τὸν μέγαν χόλον* **κατ' αὐτῶν** *ἐγκαλῶν,* pro **αὐτοῖς** *ἐγκαλῶν.* Cfr O. C. 1339 et Ai. 969.

β. Sed hæc hactenus. Jam de majore classe locutionum aggrediar dicere, in quibus præpositionum usus et vis verborum non satis congruunt. Fit enim sæpe, ut verbum, quod motum significat, cum adverbiali, quod terminum in quo exprimit, conjungatur et *contra.* Græci dicere potuerunt *εἰς πόλιν πάρεστιν,* quam structuram manifestum est inde exstitisse, quod duæ locutiones *εἰς πόλιν παρῆλθε* et *ἐν πόλει πάρεστι* ejus qui loquebatur animo obversabantur, sed utriusque modo pars in sententia pronuntianda provenit. Itaque credo hujusmodi structuras in tertium genus syntacticæ assimilationis referri posse. Nam a solitis compromissalibus structuris nulla alia re differunt, nisi quod ex actionibus aut statibus, quos verba exprimunt (*παρῆλθεν* — *πάρεστιν*: alias ex. gr. *ἐμὲ τάδε τιμᾶτε* — *ἐμοὶ τάδε*

χαρίζεσθε) altera antecedit, altera sequitur; quod tamen equidem non satis esse censeo, cur hoc separatum aliquod genus esse putemus, quod Ziemer vult (Str. pag. 130. Cfr Kühn. II 447). Præterea quomodocumque hæc res se habet, mihi liceat hoc loco de ejusmodi rebus pauca proferre.

Prioris generis exemplum est Ant. 1069 *ψυχὴν* **ἐν τάφῳ** *κατῴκισας,* ubi *εἰς τάφον* exspectatur, sed quia de perpetua in sepulchro commoratione poeta cogitavit, *ἐν τάφῳ* provenit. Alia exempla sunt: Fragm. 300 *ὄρνιθος* **ἦλθ'** *ἐπώνυμος πέρδικος* **ἐν** *κλεινοῖς Ἀθηναίων* **πάγοις.** O. R. 656 s. **ἐν αἰτίᾳ** *βαλεῖν.* Cfr Tr. 40 s. *ὅπου βέβηκεν* — adverbia loci hic mihi liceat complecti — de quo loco Jebb dicit: "**ὅπου,** not *ὅποι,* since *βέβηκεν* implies, is now." El. 1476 s. **ἐν ἀρκυστάτοις** *πέπτωκα.* O. C. 19 *κῶλα κάμψον* **ἐπὶ πέτρου.** Tr. 918 *καθέζετ'* **ἐν** *μέσοισιν* **εὐνατηρίοις.** Sed hæc satis sunt.

Etiam in contrariam partem fit, ut post verba manendi, si ita dicere licet, adverbialia sequantur, quæ ad verba movendi pertinent. Talia exempla sunt: O. C. 1253 *πάρεστι* **δεῦρο,** de quo jam nihil opus est dicere. O. C. 23 **ὅποι** *καθέσταμεν.* O. C. 335 *οἱ δ' αὐθόμαιμοι* **ποῖ** *νεανίαι πονεῖν;* ubi mutationem inutilem puto. Præterea constructiones, qualis est *εἰς τόπον παρεῖναι,* in Græcorum sermone usitatissimæ erant, quæ fuit causa, cur romana ætate *εἰς* cum acc. confusione structurarum pro *ἐν* cum dat. sæpe usurparetur (Cfr Meisterh. pag. 176, 22, Fr. Blass Gr. Neut. Griech. 39, 3 & 25, 2 & 3), quod propterea commemoro, quia paulo infra de alio quasi obdurescente usu præpositionum et adverbiorum agam.

Alibi adverbiale locum, unde subjectum exiit s. abiit, exprimit, sicut Ant. 1181 **ἐκ δωμάτων** *πάρα.* Simili explanatione credo scripturam codicis La retineri posse Tr. 1275 *λεῖπου μηδὲ σύ, παρθέν',* **ἀπ' οἴκων,** quæ locutio meo quidem judicio facile confusione oriri potuit ex *μὴ λείπου* - - - **οἴκοι** et **ἕπου** *καὶ σὺ ἀπ' οἴκων.* Nauck dicit illum versum omnino sententia carere totumque locum cum aliis criticis compluribus falsum esse putat. Plerique varias mutationes inferunt. — Alia exempla sunt: Ant. 966 **παρὰ** *δὲ* **κυανεᾶν σπιλάδων** *ἀκταὶ Βοσπόριαι (εἰσίν),* quod Dindorf explicat: si quis ab Cyaneis progrediatur. Incertus tamen hic locus est.

Cfr ea, quæ Jebb in comm. et app. dicit. Item El. 894 s. ὁρῶ **κολώνης ἐξ** ἄκρας νεορρύτους πηγὰς γάλακτος credo κολώνης ἐξ ἄκρας a ῥέουσας pendere, quod eo facilius animo poetæ obversatum est, quod vocabulum νεορρύτους proxime sequitur. In aliis exemplis vestigium motus, in quem quis animum intendens ita dixerit s. scripserit, vix erui potest. Quod inde pendere censeo, quod homines, cum illud παρά cum genitivo sim. talibus locis et audire et adhibere consuevissent, ubi ad sententiam pæne nihil referret, utrum hoc an illud usurparetur, illam structuram etiam eo, ubi justa causa omnino abesset, facili abusione intulerunt. Cfr quæ de præpositionis εἰς usu supra dixi. Præcipue in hoc genere ponenda sunt adverbia in **θεν** exeuntia, cum ut sæpe fit pro adverbiis, quæ ad manendum in loco pertinent, usurpantur, sicut El. 1058 τοὺς ἄνωθεν οἰωνούς, v. 1449 ἔξωθεν εἴην, Ant. 1070 τῶν κάτωθεν θεῶν, Ai. 204 τοῦ Τελαμῶνος τηλόθεν οἴκου, Tr. 601 ταῖς ἔσωθεν ξέναις, ad quos locos in commentariis multa alia exempla afferuntur.

Simili modo structura post verba, quæ *stare, sedere, suspensum esse* cet. significant, a Kühnero recte explanatur (Kühn. II 447 c), ex quo genere ipse affert El. 742 τοὺς **ἄλλους** - - δρόμους ὠρθοῦθ' ὁ τλήμων ὀρθὸς **ἐξ ὀρθῶν δίφρων** (se erigens ex-) et Ant. 411 καθήμεθ' **ἄκρων ἐκ πάγων** ὑπήνεμοι, quem versum sic interpretor: sedebamus *in summo colle* sub vento, i. e. ita ut ventus in terga custodum incideret, quæ interpretatio et cum formatione illius ὑπήνεμοι optime congruit et sententia maxime requirit. Ita enim, si a tergo ventus ferebat et ante eos cadaver situm erat, tutissimi a malo odore erant. Cfr Tournieri adn., qui magis infinite ὑπήνεμοι vertit 'en butte aux vents', et Wolffii, qui illud adj. recte intelligit. Schneidewin aliique ὑπήνεμοι idem esse putant atque Homeri illud ὅθι σκέπας ἦν ἀνέμοιο. Wolff, Campbell, Ziemer (Str. pag. 128 im.) ad ἐκ τόπων explanandum κατασκοποῦντες intelligunt. Ab his locis non multum differt O. C. 848 **ἐκ τούτοιν σκήπτροιν** ὁδοιπορήσῃς: ἐκ sicut post verba pendendi (Sandström doc. in prælectione).

Illa præpositionum incongruentia etiam aliter se habere potest, sicut Ant. 1204 s. **πρὸς νυμφεῖον εἰσεβαίνομεν**, quod idem valet atque πρὸς νυμφεῖον ἐβαίνομεν ὅπως εἰς αὐτὸ εἰσ-

βαίνοιμεν, et e contrario O. C. 125 s. ***προσέβα*** *γὰρ οὐκ ἄν ποτ'* ***ἐς ἄλσος***, quæ contractio est duarum cogitationum; neque ad lucum accessisset neque in lucum intrasset. Cfr O. R. 1205 *τίς* ***ἐν πόνοις ξύνοικος*** pro *πόνοις ξύνοικος* aut *ἐν πόνοις οἰκῶν*. Alius locus est Ant. 113 *(Πολυνείκης) αἰετὸς* ***εἰς γᾶν*** *ὥς ὑπερέπτα: εἰς γᾶν εἰσέπεσε καὶ ὥς αἰετὸς ὑπὲρ αὐτὴν ὑπερέπτα.*

Hoc loco exempla aliqua proferam, in quibus *ποῖ* et *ὅποι* temporali vi (= quando) usurpata esse videntur. Ut O. C. 476 *τὸ δ' ἔνθεν* ***ποῖ*** *τελευτῆσαί με χρή*, ubi structuram facile intelligere est. Recte enim Schneidewin interpretatur 'quem ad exitum perducam'. Item fere El. 958 ***ποῖ*** *γὰρ μενεῖς ῥᾴθυμος*. Dubitationem autem aliud exemplum movit. O. C. 383 s. *τοὺς δὲ σοὺς* ***ὅποι*** *πόνους κατοικτιοῦσιν, οὐκ ἔχω μαθεῖν*. Sed nonne illud *κατοικτιοῦσιν* h. l. finiendi notionem continere potest, ita ut sit pro *κατοικτίσαντες τελευτήσουσιν?* Aut ad *ὅποι* partic. *ἐλθόντας* animo poetæ obversari potuit. Et hoc modo necesse est explicare El. 140 *ἀπὸ τῶν μετρίων ἐπ' ἀμήχανον ἄλγος διόλλυσαι*, ubi structura a latenti *προβαίνουσα* pendet. Simile exemplum est O. C. 113, de quo jam dixi cap. I, II *ι*. Restat O. C. 1735 ss. ***ποῖ*** *δῆτ' αὖθις - - - αἰῶνα τλάμον' ἕξω*, ubi *ποῖ aut* temporale est = ad quem finem, quam diu, *aut* locale eodem fere sensu atque *ποῖ ἐλθοῦσα*. Et ipse Jebb plerisque locis *ποῖ* in *ποῦ (ὅποι* in *ὅπου)* mutat.

γ. Eodem fere modo duæ cogitationes — status et motus — quasi in unum contractæ sunt, ubi nomen cum præpositione vel adverbium loci pro attributo adhibetur verbumque enuntiati motum indicat, de qua re vide Kühn. II 448. Hujus rei exempla sunt: El. 137 s. *ἀλλ' οὔτοι τόν γ'* ***ἐξ*** *'Αίδα* ***λίμνας*** *πατέρ' ἀνστάσεις*. O. R. 1051 *τὸν* ***ἐξ ἀγρῶν*** *(ἐννέπειν)*. Cum hoc loco Nauck confert v. 612 *τὸν* ***παρ' αὑτοῦ*** *βίοτον ἐκβαλεῖν*, sed meliorum codicum scripturam *αὑτῷ* non est cur mutemus. El. 1322 *ὡς ἐπ' ἐξόδῳ κλύω τῶν* ***ἔνδοθεν*** *χωροῦντος*. El. 1103 *τίς οὖν ἂν ὑμῶν τοῖς* ***ἔσω*** *φράσειεν ἄν*. Sed *ἔσω* sine ejusmodi causa jam sæpissime usurpabatur pro *ἔνδον*, velut O. R. 57 *ξυνοικούντων ἔσω*, Ai. 105 s. *ἔσω θακεῖ*. Cum El. 137 Jebb comparat Phil. 1076 s. *τά τ'* ***ἐκ νεὼς*** *στείλωσι ναῦται*, sed h. l. non verbum *στείλωσι* illud *ἐκ νεώς* effecit, sed verbalis quædam notio, quam Wunder exprimit sic: parare ea, quæ e

navi in terram *asportata* nunc rursum ei imponenda sunt. Cfr El. 930 s. *τοῦ γὰρ ἀνθρώπων ποτ' ἦν τὰ πολλὰ πατρὸς* **πρὸς τάφον** *κτερίσματα (πρὸς τάφον*, not *πρὸς τάφῳ*, since the thought is, *τίς προσήνεγκε ταῦτα;* Jebb). Similiter O. C. 662 *μακρὸν φανήσεται τὸ* **δεῦρο** *πέλαγος* pro *τὸ μεταξὺ π.* (since *πέλαγος* suggests *πλοῦς*. Jebb.).

XIV. De assimilatione comprom. in comparatione [1]).

α. In græca lingua nonnumquam fit, ut post comparativum *articulo* instructum particula *ἤ* sequatur. Cujus rei exemplum est Ant. 313 s. *ἐκ τῶν γὰρ αἰσχρῶν λημμάτων* **τοὺς πλείονας** *ἀτωμένους ἴδοις ἂν* **ἢ** *σεσωσμένους*. Ad hunc locum Tournier dicit sententiam eandem esse atque si esset *τοὺς ἀτωμένους πλείονας ἢ τοὺς σεσωσμένους*. Recte ille quidem et hoc ipsum est, quo fieri potuit, ut ejusmodi structura exsisteret. Nam gradus comparativus, si articulo ornatus est, absolute usurpatur, et si quid additur, debet esse *ἀλλ' οὐ σεσωσμένους*. Cfr Thuc. I 83, 1 *ὁ πόλεμος οὐχ ὅπλων τὸ πλέον* **ἀλλὰ** *δαπάνης* (Cfr Campbellii adn. ad h. v. et Wolffii ad O. C. v. 796). Itaque enuntiatum, quale est, compromisso provenit ex legitimis illis loquendi rationibus, quas jam significavi. Ejusdem generis exemplum invenitur O. C. 796 *κἄκ' ἂν λάβοις* **τὰ πλείονα ἢ** *σωτήρια*. Sed rectissime hi loci se habere videntur, si O. Schwab vere dicit *ἤ* particulam post adversativum comparativum, si *affirmativus* sit, idem esse atque *ἀλλ' οὐ*, sin *negativus*, idem atque *ἀλλά* (p. 25 passimque).

β. Etiam post gradum *positivum* particula *ἤ* interdum usurpatur, quod a nulla alia re pendet quam quod in ipsa sententia, quamquam diserto verbo non exprimitur, comparativa notio inest, quæ structuram facit. Exemplum invenimus Ai. 966 *ἐμοὶ* **πικρὸς** *τέθνηκεν* **ἢ** *κείνοις γλυκύς*. Nam quamquam structura hujus loci solito durior est, potest fieri, ut poeta concinnitatem membrorum spectans illo modo orationem formaverit, ita ut quodammodo *formalis* assimilatio sit, de qua re cfr

[1]) Si quis græcam comparationem omniaque, quæ ad eam pertinent, velit accuratius discere, eum delego ad O. Schwab Hist. Syntax der Griech. Comparation (Schanz Beitr. IV).

Kühn. II 542 Anm. 2 extr. — Aliud exemplum est Tr. 1019 *σοί τε γὰρ ὄμμα* **ἔμπλεον** *ἢ δι' ἐμοῦ σῴζειν*, ubi quidquid Nauck dicit, scholiastæ explicatio mihi quidem probabilis videretur, modo scirem, num *ἔμπλεος* item atque latinum vocabulum plenus absolute usurpari posset, ita ut idem fere atque perfectus, cui nihil deesset, valeret. De particula *τε* cfr Kühn. II 520 Anm. 4. Potuit fieri, ut altera cogitatio animo obversaretur. Nam et magna vi et manibus firmis ei opus erat, qui Herculem illum magni corporis virum et qui tum acerbissimis vulneribus consumeretur sublevaturus erat. De universa re cfr O. Schwab p. 98 s. cum nota.

γ. Ad *superlativum* circumscribendum scimus positivum adjectivi et *εἴ τις* interdum adhiberi sicut O. C. 1664 *εἴ τις βροτῶν θαυμαστός*, et inprimis Aristoph. Plut. 655 *ἄνδρα τότε μὲν ἀθλιώτατον, νῦν δ' εἴ τιν' ἄλλον μακάριον κεὐδαίμονα*, unde apparet utramque rationem idem fere valere. Sed *superlativum* in ejusmodi locutione pro positivo positum ("pleonastisch" Schwab p. 405) invenimus Tr. 7 s. *ὄκνον* **ἄλγιστον** *ἔσχον* **εἴ τις** *Αἰτωλὶς γυνή*, ubi structura ex duabus loquendi formis, quæ eandem sententiam exprimunt, juncta est: *ὄκνον ἀλγεινὸν ἔσχον, εἴ τις Αἰ. γυνή* et *ὄκνον ἄλγιστον ἔσχον Αἰτωλίδων γυναικῶν*.

τό κάλλιστον τῶν προτέρων φάος similiaque non commixtione duarum locutionum (*κάλλιον τῶν προτέρων* → *κάλλιστον πάντων*) explicanda esse jam vidimus (cap. III, XI ε. Cfr etiam Kühn. II 420, 1, qui tamen fines hujus genitivi justo longius profert). Addit tamen Schwab (p. 42) se credere græcos ipsos, cum ita dicerent vel scriberent, separativum (s. comparationis) illum genitivum esse posterioribus temporibus non conscios fuisse sed cum partitivo confusisse, quæ opinio germanis exemplis firmatur sicut "ich bin der jüngste von meinen Brüdern, ich bin der grösste von euch." Contra veram comparativi et superlativi confusionem reperimus El. 201 s. *ὦ πασᾶν κείνα* **πλέον** *ἁμέρα ἐλθοῦσ'* **ἐχθίστα** *δή μοι* pro *πλέον ἐχθρὰ πασᾶν* aut *ἐχθίστα πασᾶν*, nisi magis placet *πλέον ἔχθιστος* velut comparativum putare superlativi *ἔχθιστος*, cujus vis adeo obtusa erat, vix ut superlativa notio sentiretur, quod inde elucet, quod ad eum adverbium *πλεῖστον* additum est Phil. 631 s. *τῆς πλεῖστον ἐχθίστης ἐμοὶ - ἐχίδνης*. Cfr O. C. 743 s. *πλεῖστον κάκιστος*,

Ant. 1210 *ἕρποντι μᾶλλον ἆσσον,* quæ omnia inde provenerunt, quod illius superlativi aut comparativi vis frequenti usu ita evanuerat, ut positivi pares esse sentirentur aut certe infirmiores quam pro eo, quod quis dicturus erat, quo factum est, ut solita ratione novas formas crearet. Duplex gradatio etiam invenitur O. R. 1300 s. *τίς ὁ πηδήσας* **μείζονα** *δαίμων* **τῶν μακίστων** - - -; (Accuratius de his rebus O. Schwab p. 376 ss.). Cfr *ἐσχατότερος,* primor, infimior, ersterer cet., quæ Ziemer promit (Str. pag. 147 s.), ex nostra lingua 'sedermera, yttermera, närmare, värrare' et satis multa in minus eruditorum hominum loquendi consuetudine.

XV. De assimilatione comprom. in generibus verbi.

α. In græca lingua, ut in ceteris indoeuropæis, activum et medium ab initio sola genera verbi fuisse et passivum ex neutralibus formis et mediis neutrali aut reflexiva vi posteriore tempore provenisse jam prorsus constat (Delbr. Synt. F. IV pag. 75 s. Brugm. Gr.[2] 149 s. G. Meyer Gr. 532—3). Unde apparet de analogia, ut vulgo fit, vix licere loqui, si neutralia verba pro passivis cum præpositione *ὑπό* et genitivo junguntur, sicut Ai. 1025 s. *ὑφ' οὗ φονέως ἄρ' ἐξέπνευσας.* Sed ita se res habet, ut illa præpositio, quodcumque verbum est, causam efficientem significet. Cfr O. R. 1252 s. *ὑφ' οὗ· οὐκ ἦν τὸ κείνης ἐκθεάσασθαι κακόν*: per quem non licebat cet.

β. Contra quod verba aliqua, quæ in passivo genere sunt, cum accusativo objecti junguntur (ex. gr. *καταπλήσσεσθαι, ἐκπλήσσεσθαι, φοβεῖσθαι, αἰσχύνεσθαι.* In accusativo exempla aliqua attuli.), hoc potius assimilatione ad activa verba, quæ simili sensu accusativum regunt, explicandum est. Nam ejusmodi verba, sive ab initio neutrales formæ sunt (ut *ἐξεπλάγην* = erschrak) sive mediæ - transitivæ (ut *ἐκπλήττομαι* = ich erschrecke mich, si ita dicere licet), ipsa per se accusativum regere non potuerunt.

γ. Inter activæ et mediæ formarum notiones nonnumquam adeo nihil differre, ut promiscue fere usurpentur, notum est. Exempla pauca afferam: Tr. 1102 *τροπαῖ' ἔστησα,* sæpe *τροπαῖον ἵστασθαι.* — *ὁρᾶσθαι* pro *ὁρᾶν* (Ant. 593. Cfr *κατειδόμην* El. 892). — *ποθεῖσθαι* pro *ποθεῖν* (Tr. 103). Hanc rem credo

ad id profecisse, ut activum pro medio ibi usurparetur, ubi medii vis propter sententiam requireretur, cujus rei apud Sophoclem multa exempla sunt, sicut O. R. 590 *ἐκ σοῦ πάντ᾽ ἄνευ φόβου* **φέρω** (*φέρειν* similiter v. 1190, Ai. 436. Item *προσφέρειν* Phil. 1107). Ant. 161 **πέμψας** pro *μεταπεμψάμενος* (Item *ἐκπέμπειν* Ant. 19. Contra eadem vi in medio positum O. R. 951 et in medio activo fere sensu Ai. 613, O. R. 556). Phil. 60, 495 **στέλλειν** pro *στέλλεσθαι* (= arcessere ut *ἐστειλάμην* O. R. 434). Cfr Phil. 571 *ἔστελλον* pro *ἐστέλλοντο* (= proficiscebantur; sim. 640). O. C. 1411 *κομίζετον* pro *κομίζεσθον*. Ai. 769 *ἐπισπάσειν κλέος*. Sed etiam hæ structuræ satis apertæ sunt. Nam quisquis ita dixit s. scripsit, id quo medii vis activi notione plus valet, universæ sententiæ exprimendum reliquit. Magis mirum est, si in iis verbis, in quorum medio separata aliqua significatio nata est et quæ ab activi notione satis longe absit, nihilo minus activum pro medio usurpatur. In hoc genere est **τιμωρεῖν,** quod verbum proprie significat *adesse* alicui, vulgo vindicem ex. gr. O. R. 136 *γῇ τῇδε τιμωροῦντα*. In medio significat sibi vindicem adesse, quo sensu cum accusativo jungitur, ita ut liceat interpretari aliquem *ulcisci* aut omnino *punire* sicut Phil. 1258 *ὅς σε τιμωρήσεται*. Sed hoc ipso sensu, adjuvante credo analogia aliorum verborum, in quibus activi et medii notiones minus distinctæ erant, Sophocles activo bis utitur: O. R. 107 *τοὺς* **αὐτοέντας** *χειρὶ* **τιμωρεῖν.** O. R. 140 *ὅστις - - -, τάχ᾽ ἂν* **κἀμ᾽** *ἂν τοιαύτῃ χειρὶ* **τιμωρεῖν** *θέλοι*. — Similiter se habet verbum **νέμειν.** In activo proprie significat *tribuere*, in medio aliquid sibi tribuere, vel potius, si præsentis stirpis vim respicias, aliquid sibi tributum habere, unde solita medii vis, quæ est *possidere, tenere*, provenit (Cfr Seiler Homer. Wörterb.). Hoc sensu Sophocles semper *activum* adhibet, sicut Ai. 1015 s. *ὡς τὰ σὰ κράτη θανόντος καὶ δόμους* **νέμοιμι** *σούς*. Cfr O. R. 201, 237, Phil. 392. — Semel apud Sophoclem media forma invenitur, Phil. 706, ubi *vescendi* notio inest, quæ ex altera activi significatione *pascere* orta est. — Item credo Ai. 449 *οὐκ ἄν ποτε δίκην - -* **ἐψήφισαν** pro *ἐψηφίσαντο*: numquam judicium fecissent. Cfr adn. Jebbii. Persuasum mihi est, si quis accuratius rem exploraverit, facile eum plura hujusmodi exempla inventurum esse.

XVI. De assimilatione comprom. in temporibus.

a. Tribus locis apud Sophoclem futurum **βουλήσομαι** pro præsenti *βούλομαι* legitur, e quibus est Ai. 681 *ἔς τε τὸν φίλον τοσαῦθ' ὑπουργῶν ὠφελεῖν βουλήσομαι.* Hanc structuram compromisso apparet ortam esse inter duas legitimas dicendi rationes, quæ sunt: *ὠφελήσω, ὠφελεῖν βούλομαι.* Vel si altius in rem penetrare volumus, hoc modo credo res fiebat. Scriptor jam in eo erat, ut *ὠφελήσω* ederet vel potius in cogitatione formaret, cum illud velut auxiliare verbum *βούλεσθαι* in animo ejus emersit, quod principalem notionem sibi in infinitivo subjecit, ipsum autem ejus propriam formam futuri occupavit. Cetera ex Sophoclis fabulis exempla sunt: O. R. 1077 *ἰδεῖν βουλήσομαι.* O. C. 1289 s. *βουλήσομαι* - - *κυρεῖν.* Cfr Schneidewini adn. Ai. 681 et Kühn. II 387, 3, ubi plura exempla afferuntur. Expositio hujus mihi non placet. *εὑρήσομεν* et alia, quæ permiscet, aliter se habent.

β. Post *βούλεσθαι* aliaque verba *voluntatis* futurum infinitivi interdum sequitur. Hujusmodi verba objectum ad futurum tempus referunt et illa futuri notio, quæ animo loquentis hominis obversatur, etiam *forma* effingi studet. Cfr Brugm. Gr. 163. Quod edit. II Brugmann Forsmannio auctore concedit ortam esse hanc structuram in iis verbis, quæ ut *μέμαα putandi* notionem continerent, et post ad cetera serpsisse, parum mihi verisimile videtur. Nam hæc structura et illa, de qua jam supra dixi, proxime inter se videntur cohærere. Utrobique opinio quædam futuri formam futuri creat. Illic cum regenti verbo, hic cum infinitivo, quod mihi quidem rei aptius videtur, illa forma conglutinatur. Præterea, cur Brugm. in futuro inf. *voluntatis* notionem implicare necesse habeat, non intelligo. Exemplum apud Sophoclem est O. R. 263 ss. **εὔχομαι** *θεοὺς μήτ' ἄροτον αὐτοῖς γῆς ἀνιέναι τινά* - - -, *ἀλλὰ πότμῳ τῷ νῦν* **φθερεῖσθαι,** quamquam prior infinitivus in præsentis temporis forma est. Cfr Krüg. A. S. 53, 7, 11, qui affert Thuc. IV 121, 1 (post *διενοοῦντο*), VI 57, 2 *(ἐβούλοντο)*, VI 6, 1 *(ἐφιέμενοι)*. Adde I 27, 2 *(ἐδεήθησαν)* et VII 56, 1 *(διενοοῦντο)*. Cfr etiam Kühn. II 389. 8—9, qui tamen res inter se dissimiles confun-

dit, et Goodwin Moods and Tenses 113. — Eodem modo verisimile est futurum infinitivi explicandum esse post **δύνασθαι** Phil. 1394 *πείσειν δυνησόμεσθα μηδέν*. Ita res expediri potest, ut formam futuri formali assimilatione ad verbum regens ortam esse putemus, quod Schneidewin s. Nauck credere videtur. Sed potius casu evenisse existimo, ut ipsum *δύνασθαι* h. l. in futuro sit, neque minus post aliam hujus verbi formam futurum infinitivi sequi posse. Nam ut illa verba etiam *δύνασθαι* actionem infinitivi ad futurum tempus facile refert, et hoc verbum cum verbis *βούλεσθαι* et *ἐθέλειν* in mentibus Græcorum conjunctum fuisse eo quoque apparet, quod duplex augmentum a verbo *ἐθέλειν* ad verba *βούλεσθαι, δύνασθαι, μέλλειν* serpsisse credibile est (Cfr G. Meyer Gr. 475 a). Certa res esset, si scriptura constaret Xen. An. VII 7, 24, ubi Walckenarius aliique scribunt *δύνανται* **ἀνύσεσθαι**. Incertus locus est etiam Thuc. VII 11, 3 *δυναίμεθ' ἂν χρήσεσθαι* an *χρήσασθαι*. Cfr tamen Thuc. III 28, 1 *γνόντες δὲ οἱ ἐν τοῖς πράγμασιν οὔτ'* **ἀποκωλύσειν δυνατοὶ ὄντες,** quod vix minus ad hanc sententiam firmandam valet. Summum concedo et hoc et illud ad futuri formam creandam conspirasse. Jam vidi Jebbium idem fere de hac re sentire. Cfr ejus adn. et app. ad Phil. 1394.

Hoc loco facere non possumus, quin verbum **μέλλειν** recordemur, post quod apud atticos scriptores præsens inf. (raro aor.) aut interdum futurum sequitur. Si ex Homeri loquendi ratione concludere licet (Cfr Krüg. P. S. 53, 8 et Seil. lex.), proprie hoc verbum videtur de eo dictum esse, quod suspicari liceret aut in fatis s. necesse esset. Tum si ad futurum tempus sententia spectabat, nimirum ut post *εἰκός ἐστι* sim. futurum infinitivi sequebatur. Ab illa significatione *μέλλειν* facillime ad hanc processit, ut voluntativo sensu *in animo habere* valeret. Tum autem analogia ceterorum verborum voluntatis *præsens* infinitivi regere debebat. Et talis solita post hoc verbum structura est (Cfr Krüg. Att. S. 53, 8). Exceptiones haud ita raras esse non mirandum est, si reputabimus et significationes et structuras associatione facillime inter se jungi potuisse. Futurum inf. legitimo sensu invenimus Ai. 925 s., 1027, 1287, El. 538, O. R. 967 (incertus tamen locus, nam cod. La præbet *κτανεῖν*, quod retinendum esse credo), Phil. 483, 1083. Cfr

O. C. 1634, ubi *τελεῖν* (fut.) iteratum ad *μέλλῃς* cogitandum est. Eodem sensu *præsens* inf. usurpatur O. C. 1773 s. *δράσω καὶ τάδε καὶ πάνθ' ὁπόσ' ἂν μέλλω* **πράσσειν** *πρόσφορα θ' ὑμῖν* - -. Item Tr. 79 ss. (quem locum vide), Phil. 409, O. R. 1385, denique El. 1486 *θνήσκειν ὁ μέλλων*, qui tamen versus cum proxime antecedenti plurimorum post Dindorfium criticorum consensu interpolati putantur (Cfr Wolffii adn.).. — Contra futurum inf., quamquam voluntatis notio subest, invenitur Ant. 458 s. *τούτων οὐκ ἔμελλον ἐν θεοῖσι τὴν δίκην* **δώσειν.**

γ. A verbis, quæ voluntatem exprimunt, verba *pollicendi* sim. non tantum absunt, ut hæc illorum similitudinem interdum secuta esse difficile intelligere sit. Exemplum legitur Phil. 1398 *ἃ δ' ᾔνεσάς μοι* - - -, **πέμπειν** *πρὸς οἴκους*, ubi Blaydes *πέμψειν* proposuit. Primo in hoc genere ponebam Ai. 1376 s. *ἀπὸ τοῦδ' ἀγγέλλομαι* - - *τοσόνδ'* **εἶναι** *φίλος*. Sed promittendi notio verbo *ἀγγέλλομαι* non necesse est subjiciatur (profiteor). Cfr Cavall. Synt. 231, 3.

Periphrasticam temporis formam verbum **ἔχειν** cum participio aoristi, rarius perf. junctum præbet. Hoc præclarum exemplum est, quomodo structura analogia paulatim serpente a suo loco eo provecta sit, ut ex proprio et principali sensu ad extremum parum remaneret. Vix enim dubitari potest, quin initio de possidendo eo, quod quis actione participii comparasset, hæc locutio adhibita sit, ex. gr. *ἁρπάσας ἔχω, λαβὼν ἔχω*. Hic usus præcipue apud Herodotum invenitur (Cfr Krüg. P. S. 56, 3, 8). Prorsus principalem vim hæc conjunctio verborum habet ex. gr. Phil. 942 s. *τὰ τόξα μου* - - **λαβὼν** - - - *ἔχει*. In hoc genere numerari potest O. R. 577 *ἀδελφὴν τὴν ἐμὴν* **γήμας** *ἔχεις*. Tum hæc loquendi ratio omnino ad statum s. effectum, qui participii actione exstitisset, significandum prolata est, idque etiamsi intransitivi verbi participium erat. Ejusmodi exempla sunt: Phil. 600 *ὅν γ'* (La *ὅν τ'*) *εἶχον ἤδη χρόνιον* — **ἐκβεβληκότες.** Ant. 180 *ὅστις ἐκ φόβου του γλῶσσαν* **ἐγκλῄσας** *ἔχει*. Intransitivum verbum est: O. R. 731 *ηὐδᾶτο γὰρ ταῦτ' οὐδέ πω* **λήξαντ'** *ἔχει*. Tr. 37 **ταρβήσασ'** *ἔχω*. — Denique vis hujus formæ pæne ad simplicis aoristi potestatem infirmata est. Ita sæpe apud Sophoclem, ex. gr. Ant. 192 *κηρύξας ἔχω*. Ant. 793 s. *τόδε νεῖκος ξύναιμον ἀνδρῶν ἔχεις ταράξας*. O. C.

1474 τῷ δὲ συμβαλὼν ἔχεις. Etiam apertior res est in exemplis, qualia sunt O. C. 817 ποίῳ σὺν ἔργῳ τοῦτ' ἀπειλήσας ἔχεις. Tr. 401 εἰς τί δή με τοῦτ' ἐρωτήσασ' ἔχεις; Tr. 412 τί ποτε ποικίλας ἔχεις, ubi certe durandi notio vix ullo modo inculcari potest. Cfr aoristi usum in ejusdemmodi enuntiatis τί τοῦτ' ἐγέλασας (Krüg. A. S. 53, 6, 3), ὀρθῶς ἔλεξας (Phil. 341), πῶς εἶπας; (Phil. 1288). Quod Kühner (Gr. II 482, 11) dicit hanc locutionem durantem statum actione effectum semper exprimere, Sophoclis certe loquendi consuetudine illam opinionem parum stabilitam censeo. — Ut hæc brevius complectar, rem ita factam esse credo:

Ex 1)	τοῦτο	ἔλαβον,	
2)	τοῦτο	λαβὼν	ἔχω,
3)	τοῦτον	ἔπαισα	
Fit 4)	τοῦτον	παίσας	ἔχω.

Deinde ex 1)	τοῦτον	ἔπαισα,	
2)	τοῦτον	παίσας	ἔχω,
3)		ἐγέλασα	
Fit 4)		γελάσας	ἔχω.

Verba arbitrio meo elegi.

XVII. De assimilatione comprom. in modis finitis.

a. *In indicativo.* Post **οὐ μή** (proprie, ni fallor, si in nostrum sermonem vertam, nej, bort med att - -) plerumque conjunctivum aoristi sequi omnes scimus. Interdum tamen *indicativus futuri* invenitur, quam formam nonnulli infeste oppugnant. Sed frustra moliuntur. Nam non modo satis crebris locis illa constructio reperitur, idque multis, ubi codicum scriptura præter id — ut isti volunt — nullum vestigium corruptelæ præbeat. Sed quis est, quin intelligat in hac locutione associationem et assimilationem facillime oriri potuisse? Nam nihil valet ex. gr. οὐ μή ποτε ἀγάγῃ nisi οὐδαμῶς **ἄξει.** Quod cum ita se habeat, haud mirum est, si ex altera structura etiam post οὐ μή *indicativus* fut. irrupit. Quod cum fieret, οὐ μή nihil nisi **οὐ** graviter dictum Græcos sensisse apparet. Certa exempla apud Sophoclem sunt: El. 1052 οὔ σοι μή **μεθέψομαί** ποτε. O. C.

176 s. οὔτοι μή ποτέ σ' ἐκ - - - ἄκοντά τις **ἄξει.** Ant. 1042 s. οὐδὲ - - μὴ τρέσας ἐγὼ θάπτειν **παρήσω** κεῖνον. In hoc numero pono Phil. 611 ἐθέσπισε τὰ πέργαμα ὡς οὐ μή ποτε **πέρσοιεν,** ubi, ut alias fit, in subjuncto enuntiato post tempus historicum indicativus optativo obliquo commutatus est. Hæc exempla codicum scriptura firmata sunt. Exempla, quæ jam afferam, magis dubia sunt. O. C. 848 s. codex La. exhibet οὔκουν ποτὲ - - - μὴ ἔτι ὁδοιπορήσ**εις.** Sed in tali re codicum testimonium propter diphtongorum ηι et ει confusionem, quæ jam antiquis temporibus ingruit, parvi momenti est, et utro modo poeta scripserit, nos dijudicare vix possumus. Wolff et Campbell indicativum retinent. — Denique O. C. 1023 s. cod. La præbet οὓς οὐ μή ποτε χώρας φυγόντες τῆσδ' ἐπεύ**χονται** θεοῖς, Par. *A* ἐπεύ**ξονται,** Par *B* et lemma scholiastæ ἐπεύ**ξωνται.** Omnes, quorum editiones viderim, legunt ἐπεύ**ξωνται,** quod in ejusmodi re non reprehendo. De hujus structuræ origine et vi agit Goodwin Moods app. II. Quod is putat illud οὐ μή *prohibitive* dictum (ex. gr. Tr. 977 οὐ μὴ 'ξεγερεῖς τὸν ὕπνῳ κάτοχον) plane idem esse, primo satis placet. Cfr tamen refutationem Jebbii Ai. 75 in append.

β. *In conjunctivo.* Conjunctivi usum apud Sophoclem paulo liberiorem esse quam in soluta oratione, cum ad maturitatem provecta esset, mirum videri non debet. Neque vero Thucydides leges, quibus oratores tenebantur, semper servavit Quod præcipue ad particulam ἄν omissam pertinet (Cfr Kühn. II 398, 2). Neque hoc ad analogiam referendum est, sed ex antiquiore usu restat (Cfr Brugm. Gr.[2] 164). Ita etiam aliæ structuræ, quæ magis singulares sunt, se habent. Sicut **τί** πάθω (O. C. 216, Tr. 973), quod plerique ita explicant, ut idem esse dicant atque *quid patiar mihi fieri* (Wolffii et Tournieri adn. ad O. C. 216. Cfr Krüg. Poet. S. 54, 2, 4: "Was soll ich über mich ergehen lassen?"), qua explicatione illum conjunctivum deliberativum reddere volunt. Sed illa locutio sæpe apud Homerum invenitur, et conjunctivus ille cum futuro cognatus conjunctivus est, qui apud eum non rarus est (Cfr Krüg. Poet. S. 54, 2, 6). Et significatio et natura structuræ optime apparent ex Homerico versu: ὤ μοι ἐγώ, **τί πάθω,** τί μοι μήκιστα γένηται; (Od. V 465), ubi posterius membrum prioris iteratio

est. Quod Wolff ad O. C. 216 dicit apud Homerum ejusmodi locutiones aliter se habere, meo quidem judicio nihil dicit. Nam si in *formula* antiquior usus remanet, quid in eo mirum est? Jebb ad O. C. 216 vertit: what is to become of me? Ad Tr. 973 tamen deliberativum appellat. — Contra *verum* deliberativum conjunct. reperimus in tertia persona cum pron. indef. τις Ai. 404 ποῖ τις οὖν φύγῃ; O. C. 170 ποῖ τις φροντίδος ἔλθῃ; — Etiam structuræ, quæ est O. C. 174 μὴ δῆτ' **ἀδικηθῶ** et similiter Tr. 802 πόρθμευσον, μηδ' αὐτοῦ **θάνω**, etiamsi insolita est, apud Homerum similitudo invenitur, Il. I 26 μή σε - - - κιχείω. — Fortasse ex antiquo usu structura repetenda est etiam Phil. 300 φέρε νῦν καὶ τὸ τῆς νόσου **μάθῃς**. Cfr Brugm. Gr.[2] 165 et Delbrück Synt. F. IV pag. 117, qui voluntativum conjunct. etiam in tertia et secunda personis in græca lingua aliquando usurpatum fuisse ex aliarum linguarum comparatione concludit indeque quod in negativis enuntiatis usitatissimus est. Tournier in adn. dicit μάθῃς in conjunctivo esse, ut quod idem atque **εἴπω** sit. Tum analogia hic esset, sed utcumque se res habet, id reputare oportet habitum totius loci eundem esse atque cum prima persona conjunctivi eodem sensu usurpatur (φέρε - μάθῃς, φέρε - εἴπω). Nauck ex deterioribus codicibus **μαθέ** recepit, qui tamen in tali re minimi momenti sunt. Nam μάθῃς in μαθέ a correctore aliquo mutatum esse facile intelligimus, alterum autem, cur μαθέ in μάθῃς corruptum sit, minus elucet. Et firmatur μάθῃς collata structura Phil. 1092 s. εἴθ' αἰθέρος ἄνω πτωκάδες- - - **ἕλωσι** με, ubi tertia persona conjunctivi ad voluntatem Philoctetæ exprimendam adhibetur. Quamquam h. l. plures res sunt, quæ codicum scripturam dubiam reddant. Cfr exempla, quæ afferuntur Kühn. II 394, 7, Delbr. l. l. ex Cauer Del. Inscr.[2] 264, 31 ss.

γ. *In optativo.* Quod hic modus potentiali sensu interdum sine particula **ἄν** usurpatur, etiam id ab antiquo tempore oriundum est (Monro Hom. Gr. 299 f. Kühn. 395, 3 – 5. Krüg. Poet. S. 54, 3, 7—9. Delbrück Synt. F. I passim). Et quamquam de hac re non meum est agere, tamen persuasum mihi est in ejusmodi exemplis emendandis cautissime agendum esse. — Ab Homerico usu restat etiam optativus in enuntiato

relativo adhibitus ad consilium exprimendum Tr. 903 κρύψασ' ἑαυτὴν ἔνθα μή τις **εἰσίδοι**. Jebb autem existimat hoc in ipsa attica dialecto a deliberativo sensu ortum esse gradatimque processisse (adn. et app. ad Tr. 903).

Quomodo optativus *modus obliquus* factus sit, Brugmann exponit (Gr.[2] 167. Cfr 212). Postea optativum etiam in enuntiata, quæ a nullo verbo aut enuntiato penderent, ad obliquitatem significandam translatum esse notum est. Exemplum invenimus Phil. 617 ὑπέσχετο τὸν ἄνδρα - - δηλώσειν -, **οἴοιτο** μὲν μάλισθ', ἑκούσιον λαβών.

δ. *In imperativo.* In imperativo apertum compromissum reperimus, cujus unum exemplum est O. R. 543 **οἶσθ' ὡς ποίησον**. Originem hujus structuræ credo hoc modo provenisse. Cum is, qui loquebatur, dicturus esset ex. gr. οἶσθ' ὡς ποιήσεις s. ὥς σε δεῖ ποιῆσαι, animo ejus obversatum est ὧδε ποίησον, quod, si sententiam spectes, ab illa locutione in hoc rerum contextu non multum discrepat, ex quibus loquendi rationibus tertia intermedia orta est: οἶσθ' ὡς ποίησον. Et si quæritur, cur hæc tam audax structura imitantes excitaverit, id in eo opinor positum est, quod brevitas in ea et gravitas optime conjunctæ sunt. Apud Euripidem et Aristophanem hic usus frequens est, apud Sophoclem præter illum locum unum modo exemplum reperitur, O. C. 75 οἶσθ', ὦ ξέν', ὡς νῦν μὴ σφαλῇς; quod solum exemplum est, ubi cum negatione imperativus in græcis literis sic usurpatus inveniatur. Et potius inclino, ut h. l. veram ellipsim esse credam, sic: οἶσθ', ὦ ξέν' - ὡς - - - i. e. scisne, o hospes — quid tibi faciendum sit — ne in malum cadas. idque eo magis, quod ceteris locis οἶσθα cum relativo pron. s. adverbio facile demonstrativo commutari potest, quod h. l. ægrius fit. Vix enim dici potest: ὧδε νῦν μὴ σφαλῇς. Et ejusmodi ellipsin nihil absurdi habere credo facile concedendum esse. Itaque specie similitudinis doctos viros inductos esse puto, ut hoc exemplum in illo genere ponerent. Cfr quæ ad h. l. Nauck dicit, qui tamen corruptum textum esse ponit.

Præterea ad illam formam procudendam — dico οἶσθ' ὡς ποίησον — etiam id adjuvare potuit, quod etiam alias in subjunctis enuntiatis, relat., tempor., consec., Græci imperativo modo utebantur, velut El. 1309 μήτηρ δ' ἐν οἴκοις, ἣν σὺ μὴ δείσῃς.

O. R. 390 (*Τειρεσίας*) *τὴν τέχνην δ' ἔφυ τυφλός· ἐπεὶ φέρ' εἰπέ, - - -.* El. 1172 *θνητὸς δ' Ὀρέστης· ὥστε μὴ λίαν στένε.* Quamquam in ejusmodi enuntiatis multo facilior ad intelligendum structura est, quoniam ad absolutas enuntiationes proxime accedunt.

XVIII. De assimilatione comprom. in infinitivo.

α. Structura, quæ accusativus cum infinitivo appellatur, quomodo orta sit, cfr Brugm. Gr.[2] 170. In primariis enuntiatis orationis obliquæ Græcos eam formam adhibuisse nemo ignorat. Et cum eo res processisset, ut infinitivus ut obliquæ orationis modus cum ceteris modis conferendus sentiretur, tum facile in subjunta enuntiata, relat., tempor., comp., raro condit., translatus est. Præterea ad id etiam alia conspirare potuerunt, sicut formalis ad principale enuntiatum assimilatio atque id, quod coordinata enuntiatorum conjunctio eadem significatione loquentis s. scribentis hominis animo obversabatur. Cfr Ziemer Str. pag. 105, Kühn. II 594 Anm. 5, ubi multa exempla sunt. Apud Sophoclem unum inveni, El. 421 ss. *ἐκ δὲ τοῦδ' ἄνω βλαστεῖν βρύοντα θαλλόν, ᾧ κατάσκιον πᾶσαν* ***γενέσθαι*** *τὴν Μυκηναίαν χθόνα,* ubi pronomen relat. idem fere atque *τούτῳ δὲ* valet.

β. Simplex infinitivus paulo liberius quam in soluta oratione usurpatur. Sed plerumque usus ejus facillimo analogiæ genere ortus est. Namque aut synonymum verbum regens est alius verbi, post quod infinitivus adhiberi solet, aut significationi ejus talis notio, quæ infinitivum regat, facile subjicitur. Quod exemplis apparebit: Ai. 2 *πεῖραν ἁρπάσαι* ***θηρώμενον*** (magnopere studentem). Ai. 652 s. ***οἰκτίρω*** *νιν λιπεῖν* (misericordia captus dubito), cum quo exemplo Tournier comparat Od. XX 202 s. *οὐκ* ***ἐλεαίρεις*** *ἄνδρας - - μισγέμεναι κακότητι.* Phil. 836 *πρὸς τί* ***μενοῦμεν*** *πράσσειν (μελλήσομεν π.).* O. C. 738 ***ἧκέ*** *μοι γένει τὰ τοῦδε πενθεῖν πήματ' εἰς πλεῖστον πόλεως (προσῆκε)* et fortasse item, quamquam personaliter dicitur, v. 12 *μανθάνειν γὰρ* ***ἥκομεν*** *ξένοι πρὸς ἀστῶν* (sic Boissonade et Tournier). Ant. 233 ***ἐνίκησε*** *μολεῖν (ἔδοξε).* Cfr v. 274 *καὶ ταῦτ' ἐνίκα.* Ai. 1334 s. *ἡ βία σε μηδαμῶς* ***νικησάτω*** *τοσόνδε μισεῖν ὥστε - - (βιασάσθω).* Phil. 1303 *τί μ'* ***ἀφείλου*** *μὴ κτανεῖν.* Ant. 544 s.

μήτοι μ' **ἀτιμάσῃς** *τὸ μὴ οὐ θανεῖν τε σὺν σοὶ* - - - (utrobique impediendi notio subest).

Sed non modo verbis, sed etiam totis sententiis ea notio interdum inest, ut infinitivus sequatur. Sicut Ant. 63 s. **ἀρχόμεσθ' ἐκ κρεισσόνων** *καὶ ταῦτ' ἀκούειν*, infinitivus cogendi notione vocibus *ἀρχόμεσθ' ἐκ κρεισσόνων* implicata regitur, et El. 902 ss. **ἐμπαίει τί μου ψυχῇ σύνηθες ὄμμα,** - - *'Ορέστου τοῦθ' ὁρᾶν τεκμήριον* infinitivus adhibetur, quasi verbum *ἔδοξα* præcesserit. Cfr fragm. 178 *καὶ γὰρ χαρακτὴρ αὐτὸς ἐν γλώσσῃ* **τί με προσηγορεῖ** (Campb.) *Λάκωνος ὁσμᾶσθαι λόγου (μοὶ δοκεῖ ἐν τῷ προσηγορεῖν)*. Diversa ratio est El. 103 ss. *οὐ λήξω θρήνων στυγερῶν τε γόων* - - - *μὴ οὐ* - - - *ἠχὼ πᾶσι προφωνεῖν*. Nam hoc loco infinitivus ex ipso verbo *λήξω* pendet, quod negatum analogia verbi *ἀπέχεσθαι* sim. sicut aliquando etiam *παύεσθαι* cum *μὴ οὐ* et infinitivo junctum est. Conferendum est Arist. Ach. 319 *τί φειδόμεσθα τῶν λίθων* - - *μὴ οὐ καταξαίνειν τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐς φοινικίδα;* Genera vidimus neque longior enumeratio ad ullam rem utilis est.

γ. Post adjectiva, quæ facultatem, opportunitatem cet. significant, infinitivus sequitur. Quibus adjectivis similiter etiam **οἷος** et **ὅσος** nonnumquam cum infinitivo junguntur, scilicet ideo, quod idem atque **δυνατός, ἀποχρῶν** valent. Ut hoc credam, maxime iis exemplis adducor, quæ Kühner II 585, 5 Anm. 2 laudat, e quibus unum afferam, Thuc. VI 12, 2 *νομίσατε* - - - *τὸ πρᾶγμα μέγα εἶναι καὶ μὴ* **οἷον νεωτέρῳ** *βουλεύσασθαί τε καὶ ὀξέως μεταχειρίσαι*. Nam si *οἷον* ad adjectivi *ἐπιτήδειος* similitudinem usurpatum putamus, non modo infinitivus facillime intelligitur, sed etiam dativus *νεωτέρῳ*, qui alio modo vix explicari potest. Neque satis causæ esse existimo, cur illo loco Classen *νεωτέρους* emendet. Comparanda enim est vox *οἷός τε*, quæ, ut scimus, in attica dialecto prorsus in communem adjectivorum naturam transiit. Nam a principio pronomen relativum est, neque particula **τε** addita ea res mutatur. Et cum dici posset ex. gr. *οὐχ οἷόν τ' ἦν αὐτῷ σωθῆναι* (Antiph. I 8), quidni etiam *τὸ πρᾶγμα οὐχ οἷον αὐτῷ βουλεύσασθαι*? Et ut *οἷός τε*, etiam simplicia *οἷος* et *ὅσος*, si cum infinitivo junguntur, in correlati casu ponuntur (Cfr *ὥρα ἦν* **οἷα** *ἄρδειν τὸ πεδίον* Xen. An.), unde ni fallor elucet Græcos

illa pronomina in tali usu sensisse partem primarii enuntiati esse. Exempla hujus rei apud Sophoclem sunt: O. R. 1296 *θέαμα τοιοῦτον* **οἷον** *καὶ ἐποικτίσαι*, v. 1191 *τοσοῦτον* **ὅσον** *δοκεῖν καὶ ἀποκλῖναι*. Tr. 672 s. *τοιοῦτον ἐκβέβηκεν* **οἷον**, *ἢν φράσω, γυναῖκες, ὑμῖν θαῦμ' ἀνέλπιστον μαθεῖν*. Cfr O. C. 790 *χθονὸς λαχεῖν* **τοσοῦτον** *(= ἱκανὸν) ἐνθανεῖν μόνον*, quod de Homerico usu commonefacit (Cfr Monro Hom. Gr. 232).

δ. *Ὅπως* ut *ὥστε* cum infinitivo usurpatum videtur Ai. 378 *οὐ γὰρ γένοιτ' ἂν ταῦτ'* **ὅπως** *οὐχ ὧδ'* **ἔχειν**. Si pro *ὅπως ὥστε* esset, structura scrupulum non injiceret (De *οὐ* pro solita particula *μή* interdum adhibita cfr Krüg. A. S. 67, 6, 2; Kühn. II 513, 4). Neque magis, si pro infinitivo indicativus **ἔχει** esset. Cfr O. R. 1058 *οὐκ ἂν γένοιτο τοῦτο ὅπως ἐγὼ οὐ φανῶ*. Commixtione igitur illarum constructionum ea quæ legitur orta est. Cfr Kühn. II 552 Anm. 7 et Jebbii adn. Eadem ratio est Ai. 33 *οὐκ ἔχω* **μαθεῖν ὅτου**, si conjunctione ('combinaison') duarum locutionum *οὐκ ἔχω μαθεῖν* - *οὐκ ἔχω ὅτου μάθω* Tournier locum recte expedit, quod mihi quidem verisimile videtur. Nam quamvis dura hæc constructio sit, tamen absurda non est neque plus miri habet quam exemplum, quod Ziemer (Str. pag. 132) affert, Eur. Med. 675 *σοφωτέρα ἢ κατ' ἄνδρα συμβαλεῖν ἔπη* ex *σοφωτέρα ἢ κατ' ἄνδρα* — *σοφωτέρα ἢ (ὥστε) ἄνδρα συμβαλεῖν*. Hoc modo interpretari velim: hoc (i. e. vestigia ad tentorium Aiacis ferre) concludo, illud (num Aias auctor cædis sit) stupeo, neque qui me certiorem faciat habeo.

O. C. 335 *οἱ δ' αὐθόμαιμοι ποῖ νεανίαι πονεῖν* infin. finalis est, quæ structura facile intelligitur perspecta sententia Oedipi: *τοὺς αὐθομαίμους ἐχρῆν ἐνταῦθα εἶναι πονεῖν*. Ad *ποῖ οἴχονται* intelligendum est. Quod Euripides Or. 1472 in simili sententia *ποῦ* scripsit, rem non h. l. dijudicat (cfr Campb. adn.).

Restant duo loci, ubi manifesta commixtio structurarum est, unus O. C. 385 *ἔσχες ἐλπίδ'* **ὡς** *ἐμοῦ* **θεοὺς** *ὤραν τιν'* **ἕξειν**. Wolff et Tournier putant *ὡς* comparativam illam particulam esse, quæ interdum etiam cum participio jungitur. Et potest esse. Sed etiam **ὅτι** ita usurpatum invenitur, ex. gr. Xen. An.

V 9, 29 *νομίζει ὅτι ὅστις - - -, τοῦτον - - - στασιάζειν*, neque has structuras disjungendas esse existimo (Cfr Kühn. II 550 Anm. 3 b, Krüg. A. S. 55, 4, 10). Hoc loco comparabo O. R. 1401, ubi meliores codices præbent *ἆρά μου μέμνησθ᾽ **ὅτι** οἷ᾽ ἔργα δράσας ὑμίν, εἶτα δεῦρ᾽ ἰὼν ὁποῖ᾽ ἔπρασσον αὖθις.* Plerique editores *μέμνησθ᾽ ὅτι* mutant. Hermann et Wunder et Tournier retinent, meo judicio recte. Nam præterquam quod enuntiatum interrogativum, non infinitivus sequitur, similis ratio est. Cfr Wunderi adn., qui animi motum, quo affectus tum Oedipus erat, recte commemorat. — Alter locus est Tr. 1238 *ἀνὴρ* ***ὡς ἔοικεν*** *οὐ* ***νεμεῖν*** ex *ἔοικεν οὐ νεμεῖν* et *ὡς ἔοικεν οὐ νεμεῖ.* Similia apud Platonem leguntur (Ziemer Str. pag. 105, Krüg. A. S. 55, 4, 7) et in latina lingua Cicero *ut videtur* cum infinitivo conjungit.

ε. Pro plenis enuntiatis Græci infinitivis et participiis sæpe utuntur, illud, si quid subjective dicitur, hoc ad ea significanda, quæ quis vera esse ponit. In illo genere verba *dicendi* et *putandi* sunt, in hoc verba, quæ *scire, intelligere* valent. Neque tamen inter hæc genera certus et definitus terminus est. Sed semper verba fuerunt, quæ propter vim, cum velut in medio essent, alias aliam structuram acciperent. Qualia in Atticorum soluta oratione sunt *αἰσθάνεσθαι, πυνθάνεσθαι, ἀκούειν, ἀγγέλλειν.* Sed in poetarum usu, certe apud Sophoclem, analogia in utramque partem longius serpsit, ita ut fere post quodlibet verbum utravis structura eligi posset. Nam verbis *ἀκούειν, πυνθάνομαι* sim. omissis, accusativus cum infinitivo post ipsa verba *εἰδέναι* et *ἐπίστασθαι* nonnumquam invenitur. Ita post ***ἴσθι*** O. R. 691 s., Ant. 473 s., Phil. 1329, ***ἐπίστω*** El. 616, ***ἐπιστάμεσθα*** Ant. 1092 ss., ***ἐξεπίσταμαι*** El. 907 s., Ant. 293 s. Forsitan animadvertendum sit quattuor locis ex septem in imperativo verbum regens esse. Quod fortuitum esse potest. Mihi tamen illo modo, si imperativus ejusmodi verbi usurpatur, certitudinis vis infirmari videtur. Cfr tria exempla, quæ Jebb ex Aesch. Pers. affert, vv. 173, 431, 435, omnia in imperativo posita.

XIX. De assimilatione comprom. in participiis.

α. Ut post verba sciendi infinitivus, ita participium post verba dicendi et putandi interdum usurpatur. Verbum **ἀγγέλλειν** etiam in soluta oratione sic construitur [1]. Sed apud poetas participium etiam post alia verba irrepsit. Exempla apud Sophoclem hæc inveni: El. 676 *θανόντ' Ὀρέστην νῦν τε καὶ πάλαι* **λέγω**. O. C. 1579 s. *ξυντομωτάτως μὲν ἂν τύχοιμι* **λέξας** *Οἰδίπουν ὀλωλότα*. O. R. 463 s. *τίς ὅντινα* - - - **εἶπε** — *ἄρρητ' ἀρρήτων τελέσαντα*. Tr. 169 s. *τοιαῦτ'* **ἔφραζε** - - *εἱμαρμένα*. — Etiam **οἴεσθαι** cum participio junctum est El. 459 *οἶμαι μὲν οὖν, οἶμαί τι κἀκείνῳ μέλον*. Schneidewin ad *μέλον* infin. *εἶναι* intelligit et laudat O. C. 653 *τοῖσδ' ἔσται μέλον*. Sed hoc exemplum nihil declarat nisi posse *μέλον* cum verbo *εἶναι* jungi, quod omnia participia possunt. Mihi quidem parum verisimile videtur Græcos, cum hunc versum audirent, *μέλον* simpliciter ut participium non accepisse, neque scio an ita *εἶναι* subaudire non liceat (Kühn. II 354 Anm. 2 f.). Ceterum animadvertendum est h. l. *οἴεσθαι* de summa persuasione dici, quod ex iteratione et particula *οὖν* addita apparet. Accedit quod etiam *νομίζειν* aliquando etiam in pedestri oratione cum participio construitur (ex. gr. Xen. An. VI 4, 24. Cfr Wolffii adn. h. v.).

β. Aliter se res habet, si post hujusmodi verba **ὡς** particula et participium sequuntur, quod ex exemplis facile apparebit. Sicut Tr. 1232 *ὡς ἐργασείων οὐδὲν ὧν λέγω θροεῖς*, si accuratius agimus, hoc modo vertendum est: loqueris ita, ut qui nihil eorum quæ dico facturus es. Item post *λέγειν* O. R. 625, *φήμας προπέμπειν* El. 1155. Neque aliter El. 1341 *ἤγγειλας* - - *ὡς τεθνηκότα*, int. *ἐμέ* (suethice: du har inberättat mig såsom varande död). Consimiles loci sunt O. R. 955 s., Tr. 289, Phil. 253 & 415. Adde Phil. 567 *ὡς ταῦτ' ἐπίστω δρῶμεν' οὐ μέλλοντ' ἔτι*, ubi Jebb positionem particulæ *ὡς* associatione duarum loquendi formarum explicat. In hujusmodi exemplis accusativum initio a verbo regenti pependisse necesse est. Tum accusativum cum participio ita acceperunt, quasi ille

[1]) Exempla apud Sophoclem: El. 1443 *Ὀρέστην ἀγγεῖλαι βίον λελοιπότα*. El. 1452. Tr. 73.

a regenti verbo solutus cum hoc in unum coaluisset, quod inde elucet, quod particulæ *ὧδε* aut *οὕτως* interdum addebantur, ex. gr. O. R. 848 *ὡς φανὲν τοὔπος* **ὧδ'** *ἐπίστασο*. Cum eo res provecta esset, non multum abfuit, quin pro genitivo accusativus cum participio prorsus *absolute* usurparetur, ad quod efficiendum etiam analogia ad genitivi participii usum videtur adjuvisse. Dicebant enim ex. gr.

1. *ὡς ὧδ' ἐχόντων (τῶνδε) πάρα στενάζειν* (Ai. 981 s.).

2. *ὡς ὧδ' ἐχόντων τῶνδ' ἐπίστασθαί σε χρή* (Ai. 281. Cfr Kühn. II 488 b *β*.). In ex. 2 etiam accusativus adhiberi poterat, ita:

3. *ὡς ὧδ' ἔχοντα τάδε ἐ.* - -.

Tum quid mirum, si structura exempli 3 etiam in exemplum 1 transferebatur, ita:

4. *ὡς ὧδ' ἔχοντα τάδε πάρα στενάζειν.*

Hujus structuræ exempla sunt: El. 881 s. *ἀλλ' οὐχ ὕβριν λέγω τάδ', ἀλλ'* **ἐκεῖνον ὡς παρόντα νῷν.** Et in hoc exemplo res facilis est. Nam quamquam Wolffium puto recte dicere *ἐκεῖνον* cet. ab ipso verbo *λέγω* non pendere, fieri tamen potest, ut propter vicinitatem eo quodammodo affecta sint. Longius abest O. R. 101 *(ἄνωγεν Φοῖβος μίασμα ἐλαύνειν - - - ἀνδρηλατοῦντας - -)* **ὡς τόδ' αἷμα χειμάζον πόλιν.**

γ. Verba, qualia sunt **χαίρειν, ἄχθεσθαι,** cum participio construi, cum subjectum participii idem atque verbi regentis est, et usitatissimum est et ad intelligendum facillimum. Sed apud poetas interdum fit, ut hujus generis verba accusativum cum participio regant[1]). Hujus structuræ apud Sophoclem exempla sunt: Ai. 136 **σὲ** *μὲν εὖ* **πράσσοντ'** *ἐπιχαίρω*. Phil. 1314 *ἥσθην* **πατέρα** *τὸν ἀμὸν* **εὐλογοῦντά** *σε αὐτόν τέ με*. De ejusmodi exemplis multæ sententiæ sunt, de quibus vide Lob. ad Ai. 136. Neque tamen mihi quidem ita difficilis res videtur. Si enim dicebant exempli gratia:

οἶδα ὅτι — ἥδομαι ὅτι,
οἶδα ποιήσας — ἥδομαι ποιήσας,

tum mirum erat, ni *οἶδά σε ποιήσαντα* etiam *ἥδομαί σε ποιήσαντα* secum traxisset. Nam *οἶδα* pro multis verbis posui. At enim

[1]) Jam apud Hom. Il. V 15 *ἤχθετο (Ἀχαιοὺς) Τρωσὶν δαμναμένους.*

participiales structuræ in eo constant, ut participium attributum sit substantivo, cujus casus verbo regenti statuitur, unde fiunt *οἶδα ποιήσας, οἶδά τινα ποιήσαντα, σύνοιδά τινι ποιήσαντι, ἀκούω τινὸς λέγοντος*. Recte hoc dicitur. Credo tamen equidem etiam post *εἰδέναι* ceteraque verba similia Græcos accusativum et participium in unum conjunxisse eodem modo quo accusativum cum infinitivo, quæ structura similiter orta est. Conferre debemus accusativi absoluti usum, qui ex eadem de accusativo et participio opinione profectus est. Et Thucydides longius progreditur. Tribus enim locis articulum ante accusativum et part. ponit, quod quamquam multi critici damnaverunt, Classen præclare et meo quidem judicio recte defendit (cfr Classen Thuc. IV 63, 2 Anhang). Sed si pleni enuntiati instar accusativus cum part. erat, facile hæc structura cum verbis, quibus primo non oportebat, juncta est. — Quod Lobeck ad Ai. 136 inclinat, ut constructionem assimilatione (i. e. formali) ad sequens **σὲ** *δ' ὅταν ζαμενὴς* - - ortam esse putet, mihi quidem illud minus placet. Nam posterius enuntiatum cum priore minus arte cohæret, quam ut ad id formandum tantam vim habere potuerit. Et quod majoris momenti est, Lobeckii ratione cetera hujusmodi exempla non expediuntur.

δ. Verba **αἰσχύνεσθαι** similiaque *participium* requirunt de eo, quod subjectum jam facit aut fecit, *infinitivum* de eo, quod in futuro et incerto est. Fit tamen interdum, ut participium infinitivi locum occupet. Exemplum præbet Ai. 506 **αἴδεσαι** *πατέρα τὸν σὸν ἐν - γήρᾳ* **προλείπων,** ubi Aias nondum patrem deseruit neque deserit sed deserturus est. Neque tamen est, cur cum Wolffio et Nauckio codicum scripturam mutemus. Aut enim præsens de conatu est aut structurarum confusio inde orta esse videtur, quod Tecmessa incitata mente rem jam fieri fingit. Ejusmodi rei gerendæ anticipatione structuram exstitisse credo: O. R. 863 s. *εἴ μοι ξυνείη* **φέροντι**. *μοίρα τὰν εὔσεπτον ἁγνείαν λόγων*. O. C. 648 *εἴ σοί γ', ἅπερ φής, ἐμμενεῖ* **τελοῦντι** *μοι*. O. R. 1493 s. *τίς παραρρίψει τοιαῦτ' ὀνείδη* **λαμβάνων.** Facile explicatur etiam El. 943 *τλῆναί σε* **δρῶσαν,** *ἃν ἐγὼ παραινέσω* ("tapfer sein bei der Ausführung" Kaibel). — Difficilior locus est Ai. 183 ss. *οὐ γάρ φρενόθεν ἐπ' ἀριστερὰ ἔβας τόσσον ἐν ποίμναις* **πίτνων.** Nam si quis *οὐ - - - τόσσον* incepisset,

sequi oportuit *ὥστε — πιτνεῖν*. Sed videtur affirmativæ sententiæ forma: *φρενόθεν ἐπ' ἀριστερὰ ἔβης ἐν ποίμναις πίτνων*, ubi participium legitimum est, in animo poetæ cum negativa cogitatione juncta mediam quam legimus formam peperisse.

XX. De assimilatione comprom. in enuntiatis pro objecto (aut subjecto) positis.

a. Præter solitas conjunctiones *ὅτι, ὡς* etiam ***ὅπως, οὕνεκα, ὁθούνεκα*** ejusmodi enuntiata exordiuntur. Neque *ὅπως* mirum est, siquidem *ὅπως*: *ὡς* = *ὅτι*: *ὅ*. Et ut in soluta oratione plerumque in elliptica locutione *οὐχ ὅπως*, ita apud Sophoclem post negatum enuntiatum invenitur (El. 963. O. R. 548. Ant. 223, 685). Multo mirabilior usus particulæ *οὕνεκα* est (jam ita in Odyssea, cfr Kühn. II 550 Anm. 1) et *ὁθούνεκα*, quæ plenior modo forma pro illa est, quæ conjunctiones apud Sophoclem eodem sensu atque *ὅτι* haud raro usurpantur[1]). Cujus rei causa vix alia esse potest, nisi quod post verba affectuum et criminandi objectum et causa idem fere sunt. Itaque *οὕνεκα* proprie ita usurpabatur, ut causam significaret (*τούτου ἕνεκα ὅ*, quod apud Hom. pro *ὅτι* usurpabatur), post autem in illa particula nihil inesse nisi simplex *ὅ* vel *ὅτι* videbant, unde factum est, ut abusione quadam eam post verba dicendi et sentiendi transferrent, ad quod efficiendum conjunctiones *ὅ, ὅτι* adjuvisse puto, utpote quæ jam antea utroque sensu adhiberentur (*θαυμάζω αὐτὸν ὅ, ὅτι — οἶδα ὅ, ὅτι*). Cfr de particulæ *διότι* usu Kühn. II 550, 1, Meisterh. 211, 28 (in titulis *διότι* pro *ὅτι* post annum 300 a. Chr. n.) et thessal. *διέκι* (= *διάτι* = *διότι* = *ὅτι*)[2]).

[1]) *οὕνεκα* post *εἰδέναι* (Phil. 232), *ὁρᾶν* (Ph. 839), *αἰσθάνεσθαι* (El. 1478), *μανθάνειν* (O. R. 708), *ἐκδιδαχθείς* (Tr. 931), *ἀκούειν* (O. C. 33 s.), *ἐξαγγέλλειν* (O. C. 1395), *ἐννοεῖν* (Ant. 63, ubi cum particula *ὅτι* coordinata est). *ὁθούνεκα* post *εἰδέναι* (O. C. 944, Ph. 631), *κατειδέναι* (Tr. 813), *μανθάνειν* (El. 617), *γιγνώσκειν* (O. C. 853), *ἐκλανθάνεσθαι* (O. C. 1006), *κλύειν* (El. 1308), *ἀγγέλλειν* (El. 47), *λέγειν* (O. R. 572), *αὐδᾶν* (O. R. 1271).

[2]) Cfr etiam Peter Schmidt, Über den Ursprung des Substantivsatzes im Griech. pag. 58 (Schanz Beitr. III).

β. Post verba *timendi* **μή** et conjunctivus (post tempora hist. optat.) sequuntur [1]), quæ structura inde orta est, quod primo coordinatæ inter se enuntiationes erant: conjunctivus idem erat atque in *μὴ ἀδικηθῶ*. Post autem hæc res conturbabatur, et negativa particula *μή* ut hypotactica conjunctio accipi coepta est, quæ res eo optime apparet, quod post *μή* etiam indicativo utebantur et semper quidem, cum de re ad futurum tempus non pertinenti agebatur. Quod cum fieret, non intelligo, cur non licuerit etiam optativum cum *ἄν* ita adhibere. Exemplum unum (et primum?) apud Sophoclem est Tr. 630 s. *δέδοικα γὰρ μὴ πρῴ λέγοις ἂν* - - -, ubi Blaydesii conjectura *λέγῃς σὺ* inutilis est. Sed cum eo res processisset, satis facile videtur præsertim similitudine verborum putandi adjuvante ad **ὡς** particulam transiri potuisse. Sic legitur El. 1309 *μὴ δείσῃς ὡς ὄψεται* et vv. 1426 s. *μηκέτ' ἐκφοβοῦ μητρῷον ὥς σε λῆμ' ἀτιμάσει ποτέ*. Etiam apud alios scriptores hæc structura invenitur (Cfr Kühn. II 590 c). Sed rarissimo, nisi negato verbo præcedente plerumque in imperativo, ita dicebant.

γ. Bis apud Sophoclem post verbum impers. *δεῖν* **ὅπως** cum futuro ind. sequitur: Ai. 556 *δεῖ σ'* **ὅπως δείξεις,** Phil. 54 s. *σὲ δεῖ* - - **ὅπως** - **ἐκκλέψεις,** quam structuram manifestum est compromisso ortam esse, ex. gr. ex *δεῖ σε δεῖξαι* et *ὅρα ὅπως δείξεις*, neque in hujusmodi exemplis de ellipsi verbi *σκοπεῖν* loqui oportet.

XXI. De assimilatione comprom. in enuntiatis interrogativis.

a. Enuntiatum interrogativum nonnumquam ita adhibetur, ut ipso verbo, quod præcedit, non regatur, sed notione aliqua, quæ in mente ejus qui loquitur se cum eo conjungit vel inserit et ab eo qui audit ipso contextu facillime accipitur. Sophocles multa exempla præbet, in quibus est Ai. 794 *ὥστε μ'* **ὠδίνειν τί** *φῄς*, quod Schneidewin circumscribit *ὥστε ἐμοὶ συμβαίνει*

[1]) De hujusmodi enuntiatis copiose et præclare agit Philipp Weber. Entwickelungsgeschichte der Absichtssätze (Schanz Beitr. II).

μετὰ πόνου ζητεῖν, τί ἐστιν ἃ λέγεις[1]). Durius est, quod legitur O. C. 48 *πρίν γ' ἂν* **ἐνδείξω τί δρῶ**. Hic locus illecebra emendatorum fuit neque ego incorruptum eum esse pro certo affirmare audeo. Sed incertissimis conjecturis scriptura codicum longe præferenda est. Neque enim tam difficilis res est, si duas cogitationes, unam: *πρὶν ἂν ἐνδείξω τὸ πρᾶγος*, alteram: *πρὶν ἂν ἐξειδῶ τί δρῶ* in unum coaluisse putamus. Cfr adn. Tournieri; avant que j'aie exposé la chose (demandant, *ou* afin de savoir) ce que je dois faire.

β. Post *οὐκ ἔχειν* non raro interrogatio invenitur, quæ structura quomodo orta sit, facile intelligimus. Nam promiscue fere dicebant *οὐκ οἶδα τί φῶ, οὐκ οἶδα ὅτι φῶ, οὐκ ἔχω ὅτι φῶ*, unde quartum illud *οὐκ ἔχω τί φῶ* (O. C. 317) natum est. Sed in hujusmodi exemplis Græci pronomen interrog. a relativo parum differre sentiebant, qua re prorsus pro eo adhiberi paulatim coeptum est. Cfr Brugm. Gr.[2] 206, Kühn. II 587 Anm. 1. Hujus structuræ fortasse jam apud Sophoclem unum exemplum est El. 316 *ἱστόρει* **τί σοι φίλον**: interroga quidquid tibi libet; nam idem atque *narrare* verbum *ἱστορεῖν* apud Sophoclem non valet. Cfr editorum adn.

γ. Sæpe fit, ut interrogativa vocabula in subjunctis structuris, sicut in enuntiatis conditionalibus et finalibus, usurpentur, ubi magna vis eo efficitur, quod interrogatio, quam quis facturus est, hypotacticæ structuræ vinculo artissime cum tota periodo conjungitur. Si de origine conjicere licet, primo interrogativum solum vel structura magis solutum ponebatur. Ut quid sentiam apertius sit, exemplum ex El. 389 s. afferam. Cum enim Electra Aegisthum venire se cupere dixisset, si in subterraneum se carcerem includere vellet, Chrysothemis sententiam persequitur *ὅπως πάθῃς*, abhorret tamen, quominus *τὰ δεινότατα* vel aliud ejusmodi aperte dicat, quare pro eo interrogative *τί χρῆμα* adjungit. Præterea, quamquam tam gravi causa non

[1]) Alia exempla sunt: O. R. 74 *λυπεῖ τί πράσσει* (angit cogitantem quid faciat. Dind.). Phil. 169 *οἰκτίρω νιν ὅπως* --- *νοσεῖ* -- (miseret me reputantem quomodo --). Ai. 510 ss. *οἴκτιρε* --- *ὅσον* -. El. 750 s. *ἀνωλόλυξε τὸν νεανίαν οἷ' ἔργα δράσας οἷα λαγχάνει κακά*. Tr. 176 *ταρβοῦσαν εἴ με χρὴ μένειν* (me demandant avec effroi si -- Tournier). Cfr etiam Tr. 585 (post *συγκατοικτιουμένη*). Ai. 303 s. (post *συντιθεὶς γέλων πολύν*).

coactus est, fieri potest, ut is qui respondet — et in dialogo verisimillimum est hanc structuram ortam esse et ibi semper potissimum habitabat — alterius orationem continuet, quo facto interrogativum, quod responsionem exordiri oportebat, suo loco repulsum solum apponitur. Tum interrogativum ut præcedentis enuntiati partem accipere assuescebant, unde factum est, ut analogiæ vi hic usus in omnes partes dilataretur. Quamquam apud Sophoclem angustiore circuitu continetur, quod ex exemplis apparebit: Ai. 106 s. Aiax *θανεῖν γὰρ αὐτὸν οὔ τί πω θέλω.* Ath. *πρὶν ἂν* **τί** *δράσῃς ἢ* **τί** *κερδάνῃς πλέον;* Tr. 1185 s. *ὄμνυ - - -. — ἦ μὴν* **τί** *δράσειν;* O. C. 1724 *πάλιν συθῶμεν — ὡς* **τί** *ῥέξομεν;* O. C. 398 *ὅπως* **τί** *δράσῃ;* Phil. 1206 *ὡς* **τίνα** *ῥέξῃς παλάμαν ποτέ;* Ai. 77 **τί** *μὴ γένηται;* Cfr Ant. 158 *χωρεῖ,* **τίνα** *δὴ μῆτιν ἐρέσσων;*

Huic sententiæ etiam particulæ *πότερον* vel *πότερα* usus argumento est. Neque enim dubitari potest, quin pronomine *πότερον* antecedente cum posito aut omisso verbo membra interrogationis explicandi causa secuta sint. Tum *πότερον* in prioris enuntiati ambitum illapsum conjunctio interrogativa facta est. Deinde principali vi obscurata etiam in interrogationibus ex tribus vel pluribus membris compositis adhibebatur ex. gr. O. R. 112 s. **πότερα** *δ' ἐν οἴκοις ἢ 'ν ἀγροῖς ἢ γῆς ἐπ' ἄλλης τῷδε συμπίπτει φόνῳ;* Denique altero membro suppresso aut aliter formato etiam simplicem interrogationem exordiebatur. Hujus, quem proxime dixi, usus exempla pauca afferam: Ai. 460 s. *πότερα πρὸς οἴκους - - - πέλαγος Αἰγαῖον περῶ;* ubi alterum membrum mutata forma v. 466 *ἀλλὰ* - - sequitur. O. C. 333 *πότερα πόθοισι;* Phil. 1235 *πότερα δὴ κερτομῶν λέγεις τάδε;*

XXII. De assimilatione comprom. in enuntiatis relativis.

a. Pro *ὥστε* et infin. post *οὕτω* particulam verbo vel adjectivo adjunctam *relativum* enuntiatum nonnumquam reperimus. Apud Sophoclem exemplum est Ant. 220 *οὐκ ἔστιν οὕτω μῶρος,* **ὃς** *θανεῖν* **ἐρᾷ** (cfr Phil. 751 s.). *οὐκ ἔστιν* h. l. idem est atque *οὐδείς ἐστιν,* nam chorus de homine, quisquis est, loquitur. Ut jam in participio Ai. 183 fieri vidimus, hæc constructio ex

similitudine affirmativæ enuntiationis *μῶρός ἐστιν ὃς θανεῖν ἐρᾷ* videtur provenisse. Sed quomodo hoc fieri potuerit, si enuntiata inverterimus, magis liquebit. Nam ex *ὃς θανεῖν ἐρᾷ, μῶρός ἐστιν* ad *ὃς θανεῖν ἐρᾷ, οὕτω μῶρος οὐδείς ἐστιν* facillime pervenitur.

β. Ant. 1064 ss. *κάτισθι μὴ πολλοὺς ἔτι τρόχους - ἡλίου τελῶν,* **ἐν οἷσι** - - - *ἀντιδοὺς ἔσει,* pro *ἐν οἷσι - - - πρὶν ἂν - - - ἀντιδῷς* exspectamus. Sed alia sententiæ conformatio videtur scriptoris animo obversata esse: *οὐ πολλοὶ (*i. e. *ὀλίγοι) ἔσονται τρόχοι ἡλίου,* post quam *ἐν οἷς* (sueth. 'inom förloppet af hvilka') recte ponitur (Cfr Campbellii adn. h. l.). Comparabo Ant. 308 s. *οὐχ ὑμὶν Ἅιδης μοῦνος ἀρκέσει, πρὶν ἂν ζῶντες κρεμαστοὶ τήνδε δηλώσηθ' ὕβριν,* ubi oportebat esse aut *οὐχ - - ἀρκέσει, ἀλλὰ - -* aut *οὐ πρότερον θανεῖτε, πρὶν ἂν - -,* e quibus loquendi formis media quæ legitur orta est.

XXIII. De assimilatione comprom. in negativis particulis.

In negativarum particularum usu assimilationis vim multa protulisse mihi persuasum est. Jam mihi in mentem venit *μή* particulæ usus post verba impediendi sim., ex. gr. *ἀπείργω σε μὴ τοῦτο ποιῆσαι,* ortum aliquando credo assimilatione ad illud *μὴ τοῦτο ποιήσῃς,* quod loquenti homini quamvis inscienti obversatum est. Conferre possum *οὐ* particulæ usum in subjunctis enuntiatis post verba negativa vi, sicut *ἀντιλέγω ὡς οὐ μέγιστον ἀγαθόν ἐστι - -.* Nunc autem pauca modo afferam, quæ apud Sophoclem a communi iis utendi ratione distant.

Verbum **μέλλειν,** quomodo significatio et structura commutentur, præclarum exemplum præbet. In attica dialecto hoc verbum *in animo habere* plerumque valet. Simul de eo dicitur, qui nihil nisi in animo habet neque, quod sibi proposuit, umquam perficit. Etiam hoc sensu cum infinitivo solo vulgo jungitur (ex. gr. O. C. 1627 s. *τί μέλλομεν χωρεῖν*). Nonnumquam tamen similitudine aliorum verborum, quorum vis negativa est, cum particulis *μὴ οὐ* et infinitivo construitur. Ita semel apud Sophoclem, Ai. 540 *τί μέλλει* **μὴ οὐ** *παρουσίαν ἔχειν;* Tournier confert Aeschyl. Prom. 627 *τί δῆτα μέλλεις μὴ οὐ γεγωνίσκειν τὸ πᾶν;*

Notum est in locutionibus, quales sunt *οὐχ ὅσιόν ἐστι μὴ οὐ τοῦτο ποιεῖν, αἰσχρόν - - -, οὐ* particulam notionis negativæ quæ antecedit, repetitionem esse (Kühn. II 516, 5). Ejusmodi pleonasmum in græca lingua, ne de aliis dicam, jam invenimus in enuntiatis, qualia sunt *ἀντιλέγω ὡς οὐκ ἔστι, ἀπείργειν μὴ* et duplicem *οὐκ ἀπείργειν μὴ οὐ* — Neque hujus tam frequentis usus apud Homerum ne in recentioribus quidem carminum partibus ullum vestigium est (Krüg. P. S. 67, 12, 5). Unde meo quidem judicio apparet posteriore tempore aut certe haud ita multo antiquiore eum et exortum esse et exortum magna vi se propagasse. Si hoc reputaverimus, mirum non videbitur Sophoclis temporibus illud nova expugnandi studium nondum plane exstinctum esse. Hujus dilatati usus apud Sophoclem quattuor exempla sunt, quæ viventis linguæ vestigia cum quibusdam acutis hominibus tollere mihi nequaquam placet, tria similia: O. R. 12 s. *δυσάλγητος ἂν εἴην* **μὴ οὐ κατοικτίρων.** V. 220 *οὐ γὰρ ἂν μακρὰν ἴχνευον* **μὴ οὐκ ἔχων** *τι σύμβολον.* O. C. 359 s. *οὐ κενὴ ἥκεις - - -* **μὴ οὐχὶ** *δεῖμ' ἐμοὶ* **φέρουσά** *τι.* Hæc omnia proxime ad similitudinem earum locutionum, quas primo dixi, formata videntur esse. Certe in primo exemplo, si *δυσάλγητον ἂν εἴη μὴ οὐ κατοικτίρειν* poeta dixisset, sententia eadem esset. Neque cetera multum discrepant (*μακρὰν ἰχνεύειν βουλομένῳ οὐχ οἷόν τε μὴ οὐκ ἔχειν* - - et *ἥκουσα οὐ δύνασαι μὴ οὐ δεῖμ' ἐμοὶ φέρειν τι*). Cfr exempla, quæ Krüger Att. Synt. 67, 12, 9 affert, quæ omnia ejusdem generis sunt. Quartum exemplum est O. R. 57 *ἔρημος ἀνδρῶν* **μὴ** *ξυνοικούντων ἔσω,* ubi *ἔρημος ἀνδρῶν ξυνοικούντων* sententiæ sufficit, sed propter eandem cupiditatem negativam vim augendi particula *μή* addita est. Comparemus exempla, qualia sunt: Ai. 464 *γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων* **ἄτερ.** Ant. 445 **ἔξω** *βαρείας αἰτίας ἐλεύθερον.* Ac ne in infinitivis quidem ille negantium particularum pleonasmus prorsus stabilitus erat. Sic legitur Tr. 742 *ὃν οὐχ οἷόν τε μὴ τελεσθῆναι,* neque, ut Nauck suadet, *οὐ* addendum est. Alia exempla inveniuntur Ai. 70, 96, O. R. 129, 1387 s., Ant. 377, Tr. 90, 226, 1257, Phil. 118, 349, 1407.

Index locorum Sophoclis, quos laudavi.

Ai.

El.

O. R.

Ant.

Tr.

Phil.

O. C.

Fragm.

Corrigenda.

P. 27 v. 4 scriptum oportuit 1015 pro 1019. P. 29 v. 17 scribendum fuit: Item ἤδε Phil. 807 de morbo usurpatur.

El.

O. R.

Ant.

Tr.

Phil.

O. C.

Fragm.

Corrigenda.

P. 27 v. 4 scriptum oportuit 1015 pro 1019. P. 29 v. 17 scribendum fuit: Item ἥδε Phil. 807 de morbo usurpatur.